

DISCVRSVS POLITICI

I.

DE ILLV-
STRIVM GRAVL-
TATE EXTERNA.

II.

DE EORVM OE-
CONOMIA, SEV AVLAE
Constitutione.

Guicciardino lib. 1. Istor. n. 24.

*Principe, ò chi che sia, il qual sappi conser-
var l' opinione, che tiene di sauo, è pru-
dente: se ben si diminusce la sua gran-
dezza, tuttavia riente
autorità.*

* * *

* *

ARGENTINÆ.

Sumpt. EBERHARDI ZETZNERI. Bibl.

M, DC, XXII.

1907 S 695

AVGVSTINVS
de Civitate Dei.

Multa insunt omni opu-
sculo, quæ justo iudicio &
nulla cum temeritate culpa-
ri possunt, nullus tamen re-
prehensor formidandus est
amatori veritatis.

PERILLVSTRIBVS ET GE-
nerosissimis Dominis,

COMITIBVS IMPE-
RII PRÆCIPUIS,

DN. Georgio Reichardo an-
tiquioris profapiae Comi-
ti in Ortenburg.

DN. Emicho Comiti in Lei-
ningen & Dagsburg.

DN. in Appermont, &c.

Dominis suis Clementissimis.

Salutem officiosam, cum
animi devoti submis-
sione scribit.

G. G. L. A.

A 2

Quæ



Uæ Architectis, ea & scri-
bentibus accidunt, PER-
ILLUSTRES ET GE-
NEROSI MAGNORUM CO-
MITUM FLOSCULI. Ut enim
illi de artificio, sic hi de ingenio suo
judicandi libertatem præscindere
valent nemini. Quamobrem plu-
rima quidem, sed inter cætera, tria
potissimum, vigore usus moderni,
his, suas qui meditatiunculas lucē
aspicere, valvisque Bibliopolarum
affigere patiuntur, considerata
veniunt. *Primum*, variorum mor-
sus & murmurationes, semper quæ
scribentes manent, evitare. *Alie-
rum*, libello autoritatem quærere.
Tertium, animi sui promptitudi-
nem, & illis, quibus inscribunt, in-
seruendi desiderium significare.
Quorum æmulatione & ego du-
ctus,

ctus, impræsentiarum hunc de Il-
lustrum gravitate discursum, ali-
quādo, præ otii metu, à me in char-
tas conjectum, jam verò publici
juris factum, vobis, mei I L L U-
S T R E S, consecro, frontemq; ejus,
nominum vestrorum splendore, il-
lustro, materiæ cum præstantia mi-
nus exigat nihil, & ego majus ali-
quid nec sperare possem, præser-
tim in hac aurium natura, novita-
tum tam avida, ut omnes hodiè
clangores & soni, præter solum
Momorum & Zoylorum, (hoc tan-
tum laudis sibi ducentium, si a-
liquid in opusculis aut jure demen-
dum, aut aptè addendum curiosi
invenerint,) grunnitum, auribus
istis sordeant & ingrati sint. Ve-
rùm illos hæc mea dedicatoria ut
audientes confundet, ita loquen-

A 3 tes

tes obstupefaciet, sperans neminem tantæ fore audaciæ, qui rem tantis **COMITIBUS** (è quibus ut è surculis viridiora folia, sic omnium heroicarum virtutum specimina hæreditaria splendescunt abundantes & prælucent copiosè) sacram labris suis attingere auderet. Eam igitur bonitatem ab inscriptione nactarum, quam à conscriptione assequi non potuit, & eam, his **PATRONIS**, auctoritatem accepturum, licet vile hoc & abjectum (de stylo & filo loquor, non materia,) subjectum, confido, quo celebriorum discursuum non pedisse qua, sed nullo quidem suo merito, soror appelletur. Quo nomine debita cum animi submissione vos, Iuventæ illustris insignia decora, alloquor, & rogo, hoc quic-

quicquid sit, ut in signum eius,
quod possum, suscipiatis, & vestro-
rum generosissimorum animo-
rum testimonio & approbatione,
in id, quod vellem grandescere, ad-
iuvetis, insuper me, sua pro beni-
gnitate, excusantes, quod debens
plurima, obtulerim tam pauca.
Dab. Argentorati. 1. Novembris
Anno 1621.

V. V. G. tatum

*quibus reverenter manus oscu-
lor, humilimus*

G. G. L. A.

A 4

AVTHOR

P R Æ F A T I O .

AUTHOR LECTORI.

N eam hodie scripturientium libido (ex Poeta ^{naugnes} dicitur) prorupit lasciviam, ut non immerito quemvis ipsius tantum nominis sonus avellere & abstergere deberet, vel quod nihil novi in medium proferri, omnia à veteribus mutuari & odiosè repeti eorumq; dicta in aliquam tantummodo nudam formam speciem & apparentiam transfundi posse credant, nec quicquam nostra ætati & ingenio invidiam antiquitatem reliquisse putent: vel quod nihil scribendum, nisi id tam superciliosum, tanti momenti & ponderis, ut quorumvis iudicio, quàm abundantissimè (quod quidem nigrâ rarius ciconia,) satisfaceret, alij sibi persuadeant. Illos si quis sectetur, veterum recitator sententia-

P R A E F A T I O.

tentiarum, aliarum opinionum ex Indicibus transcriptor, communium & tritorum productor, non raro seductor audit, cumq; eadem chorda ludentibus & recocta crambe fastidientibus rideatur. Postremos autem qui emulari tentaverit, aut ab illis vulgaribus, non lectus neglectus illico in auditâ causa seponitur, damnatur, abicitur, aut ipsi rem gravi subtiliorum iudicio, & rigoroso examine, cui tantum abest, ut undiquaq; respondeatur, ut ne uno aliquando stipatus sit patrono, experiri necessum est. Id quod tantum verius mihi in aurem dictum existimare debebam, qui aetate & genio longissime inferior alijs (quos plurimos eruditum hoc alicui seculum) sine dubio multo melius tacendo mihi consulerem, quam si tam periculosam & Zoylorum morsibus plenam ingrederer viam. Verum enim vero
volui

P R Æ F A T I O.

volui, si non volui, affectum si non effectum demonstro. Nec est, ut hic expectes multa, foliorum paucitas non patitur, nec subtilia, materia enim planities ea averfatur, nec altiora, ingenium quæ superant meum: Adde, plura temporis impedivit brevitatis. Nam ut scripti ratio tibi nota, scias: Post cenam aliquando ad fallendum temporis tedium in celeberrimi illius Gallii historici, Philippi Cominæi lectionem incidens libro suo secundo cap. 45. hanc reperi sententiam: Principes semper metuunt, ne ipsorum auctoritas ullo pacto imminuatur. Cuius mentem cum probe scire desiderarem, totam per noctem quiescere non potui, quin aliorum autorum iudicium, (quos quidem meum comprehendit museolum) investigarem, quo facto, & pauculas hasce positiones appropin-

P R Æ F A T I O.

propinquante aurorâ meis in adver-
sarijs aspexi, ea tamen egredi passus es-
sem nunquam, nisi mortuorum judi-
ciis exploratis virvorum quoque hâc
de sententiolâ experiri, meq; Illustr. Co-
mitib. hoc ipso recommendare, maluis-
sem. Hisce igitur, si tibi lector candide,
unicum unius horula quadrâtem, in-
quo non rarò temporis tadio moleste te
laborare scio, breviorē reddidisse
frustaneâ non decipiar spe, tâtum mi-
hi gratulor, somni ut abrupti me pani-
teat nihil, imò plus ultra nec petam nec
cogitem, sed contentissimus acquiescã,
in super cum ipsis hîs charta meâ folijs,
fluminis, quæ tam facile quàm fontis
bibunt aquam, & mecum suum cuiq;
tribue, & tamen folia manent, utrum-
que iudicium expectans idem tamen
manent. Vale.

Ad

Ad alta niti virtutis, pervenire fe-
licitatis est, & quid nescit eximia
alicuius gloriæ initium sæpius à
fortunà quàm virtute esse.

DISCVR-

DISCVRSVS

DE ILLVSTRIVM
GRAVITATE EX-
terna.

POSITIO I.



ONSILIO sanè haud alio, veteres Magistratui recens electo faces prætulerunt ardentes, quam ut ijsdem demonstrare vellent: unum quemq; , cuius manibus publicæ rei habenæ concreditæ sint, reliquos virtutis splendore anteire, vitæq; prælucere illis integritate debere: cum ita Principis vita civium sit censura, eaque perpetua, quam ad conuertimur, nec tam imperio nobis opus, quàm exemplo. *Plin. in paneg. & Johann. Werner Gebhardt in Fürstlichen Tischreden. lib. i. c. ii. das ein Fürst mit seinem Exempel mehr / als durch die Straff der Underthanen zu*

B wegen

wegen bringen kan: ob imitandi facilitatem & æmulandi studium: quò respexit *Tacitus*, inquiens: Obsequium in principem & æmulandi amor validior, quam pœna: Quis enim est, qui non oculos in principem figat ambos? & in eius vitam velut in speculum intuens, dicta simul & facta animaduerstat, uti patet ex *Sen. lib. 1. de Clement. c. 8.* Multa contra eos lux est: Omnium in istam conversi oculi sunt.

2. Quam igitur vadit princeps viam, hanc sequuntur subiecti: ita ut vel virtutes emanent, vel vitia inde deriventur; siquidem facilius est, dicere si fas, errare naturam, quam ut sui dissimilem Princeps possit formare Rempub. *Theodoric. Rex. ad Senatum apud Cassiodor. lib. 3. var. epl. 12.* Rectè faciendo, cives suos rectè facere docet. *Vell. paterc. lib. 2.* Honesta si velit, nemo non eadem volet. *Senec. in Thyest.* Parvum nihil cogitans. *Iustin. in Novell. 1. princ.* Humile nihil exercens, sed tanquam impe-

DISC. DE ILLUST. 3

imperii sui solem virtutum omnium
 radios in conspectum populi veluti ex-
 altissima specula transmittens, *Kirchn.*
Disput. de Rep. 20. thes. 2. lit. b. arduos
 reddet parentium actiones, grauem ef-
 ficiet hominum turbam, omnemq; vi-
 tæ honestæ viam ditionis suæ agro infe-
 minabit. E contra verò in luto si se vo-
 lutare non erubescat, certè multi ma-
 culabuntur, plusque hîc principis erit
 nocumento exemplum, quam pecca-
 tum: *Alexandrum M. & Alphonsum Re-*
gem Aragonum colla torquentes (hunc
 quidem à natura, illum à consuetudine
 deprauatum,) imitabuntur cuncti,
 barbam in gratiam Francisci strumati
 prælongiorem alent omnes, Dyonisii
 caliginem oculorum, visus sui hebetu-
 dine approbabunt plurimi. &c. *Huc re-*
fer locum Anton. de Guevara in Horol. PP.
lib. 1. cap. 20. num. 70. Quod si Princi-
 pes Dei mandatorumq; ipsius parum
 reverentes sunt; eò res fedit, ut regna
 subditiq; illorum mali sint Christiani,

4

GRAVI, EXTER.

Fons enim si amarus sit, dulces esse rivi
(qui inde manant) non possunt. Expe-
rientiâ magistrâ discimus, freno e-
quum flecti, trochlea molem circum-
agi, gubernaculo navem regi: Ad eun-
dem modum à Principe siue bono siue
malo totum regnum velut circumagi-
gitur: Si Deum Principes adorant, cun-
cti eum adorant, si illi Deo (devotè)
serviunt, omnes ei serviunt: si illi
Deum celebrant, universi eum cele-
brant: si illi Deum contumelia affi-
ciunt, omnes eum cõtumelia afficiunt.
Fieri enim non potest, ut alios vel fru-
ctus vel flores arbor producat, quàm
qui (naturæ ipsius &) succo radicibus
contento, conformes sint. *Hec ille.*

3. In summa:

— totus componitur orbis

Regis ad exemplum, nec sic inflectere sen-
sus

Humanos edicta valent, quam vita Re-
gentis.

Mobile mutatur semper cum principe
vulgus. Clau-

DISC. DE ILLUST.

§

Claudian. in Paneg. IV. Consulat. Honorij.
 hocq; genus obsequij in subditis cen-
 setur familiare *Lactant. lib. 5. divin. In-*
stit. c. 6. Quemadmodum enim Prin-
 cipum vitiis infici solet tota civitas: sic
 emendari continentia. *Cicer. 3. de LL.*
 Hocq; ipsum grande crimen est, quod
 illorum scandalo in aliorum ruinas ex-
 empla nascantur. *Cyp. i. epist. 5. Vnde Itali*
dicono, che non sia cosa, che piu presto ecosi
efficacemente passi in essempio, che gli costu-
mi della corte. imò imperantium mores
 tanquam exemplarem quãdam imagi-
 nem spectant subditi. *Chryf. lib. 8. de Sa-*
cerdotio. Lips. i. pol. 8. & mon 8. & non mo-
 res tantũ internos, animi virtutibus ni-
 tentes, sed & externos, eosq; inprimis.
 4. Videmus namque & experimur,
 hanc seculi nostri esse naturam, vt ex-
 terna, quæ in conspectu magis sint, at-
 que omnium oculis subiecta, vulgi ap-
 plausum & admirationem multò faci-
 lius consequantur, quàm illa, quæ ut
Plato, & ex eo Tullius i. offic. scribit, sic si-
 mili-

6 GRAVI. EXTER.

similiter oculis cerni possent, mirabiles amores sapientiæ excitarent.

5. Verùm sunt hæc, fateor, quæ in externum aspectum maximam partem cadunt, longè quidem inferioris momenti, iis, quæ animi viribus potius, quàm corporis commendatione sustententur, habenda, non tamen omninò, si reliquis naturæ & animi donis adesse possint, post habenda, cùm maximum virtuti & imperio addant suffragium & commendationem. *Herm. Kirchn. in Morviller. seu de officio & dignit. Cancell. lib. 3. c. num. 7.* imò, si utrâq; quod dicitur, manu tanquam divinâ virgulâ, copulentur, amplectenda, absq; autem hac unione toleranda quidem, voto tamen nostro expetenda.

6. Ut autem nihil jayabunt extrinseca, cum quis mētem non bonam habeat. *Eurip.* virtuteq; omnium primariâ, prudentiâ scil. politicâ decoratam, quâ nisi moderante in omni actione nihil rectum, ut sine lucis mixtura nihil splen-

DISC. DE ILLUST. 7

splendidum existimatur. *Bornit. de prud. polit. compar.* ita haud multum prode-
runt virtutes, non æquè in fronte,
quàm mente residentes, sed harum
iunctura, omnem periculi jacturam
evincet.

7. Hoc si: attentior in Principe ocu-
lus & sectandi utrumque latus ardor
ingens optandus erit: ut quò illustrior
quis & maiori in rerum fastigio collo-
catus, eò sanè honestiorem præ se ferat
vitæ cursum, utriq; virtuti operam im-
pendens maiorem, ita ut facies mentis
omniumq; intentionum sit speculum.
Tertull. lib. de resurrectione carn. taciti o-
culi cordis fateantur arcana. Hieronym.
tom. 5. epist. ad Furia. de viduit. servanda.
& animi bonitatem reputatio, autho-
ritas & gravitas eius, quasi penicillo
depingat:

8. Prudentiæ enim si accedat GRA-
VITAS quædam Magistratus, in sub-
ditis timorem quædam cum admiratio-
ne & reverentia efficiens, nihil erit, quo

8 GRAVI. EXTER.

subditorum animos æq; devinctos, ceu
catenâ quadam continere possit. Nam
nihil est quod hominum animos ita
terreat atq; fascinet, ut admiratio. *Ca-*
merar. in horis subcissiv. cent. 1. cap. 2. ex
Franc. Patricij tractat. de histor. dial. 6.
quâ vilescente, vilescant quoq; omnes
leges & statuta, vilescant adjutores re-
giminis & ministri, atq; aded concident
omnia media boni regiminis. *Keck lib. 1.*
Syst. pol. c. 11. p. 222.

9 Vnde prudens *Comin. lib. 2. histor.*
Gall. p. 549. scribentis iudicium: mul-
tum hercule positum est sæpè in unius
hominis Virtute, modo fidem & au-
thoritatem obtineat: quæ inter regi-
minis & principatus fundamenta non
in concinnè referri potest, cum sit ve-
lut edita arx, quâ princeps se vindicat
à rebellionè & contemptu. *Lips. 4. pol. 9.*
quâ nihil adversus odium & contem-
ptum, capitales gubernationis pestes,
quæ contumaciam & defectionem tra-
here solent, potentius, *Bodin. lib. 4.*
num.

DISC. DE ILLVST. 9

num. 455. est & amoris, benevolentiae ac studii, quæ firmissima regnorum præsidia, conciliatrix, *Herod. in Aut.* certissima imperii & salutis publicæ tutela. *Curt. lib. 8.* nec non acie ad imperium telum. *Lips. lib. 8. cap. 16.* quoniam & in pace ad fidem faciendam auctoritas quæritur. *Cic. in Pop.* & multum in bellis quoque administrandis, atque imperio militari valet. *Idem pro Lege Manil.* Dannehero em Fürst ohne Gravitet einem Pfawen ohne schwantz nicht vngedrumbt vom Autore *Traiano Boccalin.* im Politischen probierstein. *discurs. 4. part. 1. p. 8.* verglichen wird.

10. Hinc ne principes hoc tangantur: Sarcasmo, minimè ipsis negligenda erit gravitas auctoritatem concilians, sed omni quærenda studio: aded quidem, ut etiam veluti quibusdam præstigiis ducere & trahere eò vulgi opinionem speciosis artibus liceat, quò augustè & reverenter principis estimationem in admiratione habeant.

B. 5.

Xenoph.

Xenoph. in Cyrop. 5. Verum ne quis forte
 me Machiavellizare præsumat, dicta
 intellige cum hac salutari clausula: Cæ-
 teris paribus; scil. ne subditis hoc da-
 mnum injustè inferatur: E. G. Si prin-
 ceps aulam aleret munificentissimam,
 & ad eam extollendam nullis sumpti-
 bus parceret, (id quod non parum
 quoque auctoritati quærendæ, conser-
 vandæ, augendæq; inservit,) illos autem
 per artes licet speciosissimas, minimè
 verò probandas (quas hodie multi au-
 licorū se probè edoctos esse, ipso facto
 abundè produnt,) è subjectorum locu-
 lis emungeret, & ita fraudulèter corra-
 deret: (qua de re alibi) Quale quæso au-
 toritatis incrementum hoc reputabitur,
 cum eam potius destruat & corrumpat.
 II. Vbi quæritur. *Q. an externa illa de
 quibus hic loquimur semper debeant corre-
 spondere menti, an vero interdum adumbra-
 ta fucata & simulata esse possent?* poste-
 rius affirmare tentabimus, ex hominū
 enim opinione ut plurimum pendet
 auto-

authoritas, quæ cum non semper veri-
 tatē, sed iudicium vulgi sequatur, vul-
 garis iudicii aura velificandum existi-
 mationi conquirendæ erit, plurimum
 que rumori & famæ dandum. *Tacit* 13.
Annal. & plurima animis hominum il-
 labuntur admirationis prætextu velata.
Val. Max. lib. 11. nec omnis fucus dolus
 malus est, imo exigitur à persona prin-
 cipis, quæ, si pro moribus temporum
 decipere valeat, summæ est prudentiæ
Plinius lib. 8. epist. cum nunquam regent,
 qui non tegent. *Lips.* aliterq; haud pos-
 sint ii, quibus commissa est tota Respu.
Cic. pro Milon. siquidem stare debent o-
 mnes, tanquam orbe aliquo Reip. qui
 cum iam versatur, eam deligere partem
 debent, ad quam eos utilitas salusq; cõ-
 verterit. *Cicer. pro Planc.* nec semper su-
 peret vera illa directaque ratio. *idem*
pro Marc. Cælio. quod *Salom. in Pro-*
verb. innuere videtur, quando dicit:
 Aperti simplices, qui animum in fron-
 te gerunt, sæpè impediuntur: astutus
 B G cautè

12. GRAVI. EXTER.

cautè agit in omnibus, & consideratè facit omnia.

12. Cùm igitur nihil Regum vel Principum potestas valeat, nisi prius valeat:

AUTHORITAS, *Curt. Hec unde? investiganda.* Constat autem ex:

ADMIRATIONE ET METU, cuius utriusque temperies sive mixtio illam parit firmiorem. *Lips. 4. pol. 9.* aut ex:

TIMORE VEL AFFECTU, *Chokier. li. 2. Aphorif. pol. c. 9. p. 83.* & est vel:

CAUSAE OCCULTAE VEL APERTAE. *Kirchn. dict. Disput. thes. 2. lit. A.*

13. ILLA divinitus singulari naturæ dote, principibus ad maiestatis præsidium indita, secretoq; impetu homines volentes nolentes trahit, *Idem dicto loco* qualis fuit in Nimrodo forte coram domino venatore, & Alexandro M. minori staturæ principe, huius enim umbra: etiam & fama maximas gētes, ne dum homines, deterrebat. *Curt. lib. 2.* Quorum quidam hoc videntur nati astro, ut ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas

DISC. DE ILLUST. 13

magnas benè gerendas, divinitus adje-
cta fit fortuna. *Cicer. pro Leg. Manil.* eaq;
interdum maior, quàm sapientia *Salust.*
ad Cæsarem. iis enim dormientibus dii
omnia conficiunt. *Terent. in Adelph. &*
in sinum devolat de cœlo victoria. Liv.
lib. 7. mittitur authoritas: nam quis ne-
get eximiam quoque gloriam sæpius
fortune quàm virtutis esse beneficium.
Curt. lib. 8. unde rectè idem loquitur
lib. 3. quibusdam gentibus ingenita est
erga reges suos veneratio.

14. Ast hoc ubi non; A P E R T A lo-
cum habet C A U S A, quæ vel animi
vel corporis rarioribus nititur donis,
ita ut authoritatem gravitate coem-
ptam, à principe non magis removeam
quàm virtutem ipsam, quæ plerumque
illam gignit, sed non sola & semper:
cum & concursio externarum rerum
eam afferat. *Cic. in Top.* quâ de in præ-
sentiari.

15. Externarum rerum concursio con-
sistit in S E R M O N I S S U A V I T A T E,

14 GRAVI. EXTER.

MORUM GRAVITATE, VESTITU DECORO: quibus adjungi potest potentia ex quâ oritur magnificentia aulæ; & definitur hæc AUTORITAS SEU GRAVITAS VIRTUS COM- PONENS EXTERNUM HABITUM CORPORIS, SERMONIS, GESTUUM ET ACTIONUM, OCCASIONI, STATU OFFICIO ET REI NATÆ INTER- VENTIVM. vel secundum. *Lips. lib. 4. pol. c. 2. in pr.* EST IMPRESSA SUB- DITIS, SIVE ET EXTERIS, OPINIO REVERENS DE PRINCIPE EIUQUE STATU.

16 Hæc è definitione primum quod considerandum venit, Principesq; au- toritatem quàm maximè conciliat, est SERMONIS moderatus usus & LINGUÆ instrumentum temperatum 1. GRAVI- TATE, 2. HUMANITATE, seu FA- CILITATE.

17. Primum autem locum in paranda Principis autoritate sibi jure vindicat SERMO articulatus, cum is quasi qui- dam

DISC. DE ILLUSTR. 15

dam portitor sit animi nostri, cuius communicatione civiles conventus indicuntur, artes coluntur, sapientiæ necessitudines homini cum hominibus intercedunt. *Scal. 1. Part. 1. pr.* quoq; utimur in docendo, mandando, negotiando, consulendo, iudicando, animiq; nostri affectus exprimendo, nec non ad amorem mutuamq; conjunctionem trahimur. *Guaz. de civil. convers. dissert. 1. p. 20.* Hoc autem potissimum opus habent Illustres, ita monente *Ant. de Guevar. in Herod. PP. lib. 2. cap. 30. ubi scribit:* Hæc dicere libuit ad monendos, persuadendos, rogandosq; Principes, ut inde à primis incunabulis filius suis viros adjungant eruditos & sapientes, à quibus non solum vivendi, sed & loquendi rationem discant. In summo enim gradu constitutis viris nihil turpius, quàm aliquid agere vel moliri, cuius rationem reddere nequeant.

18. Erit ergò Principis SERMO GRAVIS, q̄ quò clarior in eo apparet, eò magnificen-

fincentior redditur ipsius persona: quia
 plerunque talis quisque esse creditur,
 qualem verba ostendunt, magnamque
 autoritatis vim oratio continet. *Zacha.
 Fridenreich. cap. 23. pol. p. 420.* quâ in o-
 mnis vis & virtus sita est. *Sallust. ad Caf.*
 siquidem singula Magnatû verba, quasi
 oracula quædam & exempla, legumq;
 instar esse debent. *Id. d. l.* At constans &
 sedata erunt: **ORATIO SI PRESSA,
 NON AUDAX.** *Sen. in epist.* dignita-
 tem quæ & pondus sententiarum decla-
 ret, ac populari à genere utcunq; sit se-
 parata. *Althus. cap. 25. pol. num. 36.* sine
 vanitate ac levitate sine verborum am-
 pullosa ostentatione seria & efficax, nõ
 quæ extriviis atq; culina de promptum
 stylum, sed heroicum & elegans dicen-
 di genus, quæ nihil vulgare atque abje-
 ctum, sed generosam altæ mentis indo-
 lem repræsentet, quæ denique personis,
 loco, tempori atque negotiis prudenter
 accommodatus sit. *Fridenreich. d. cap. p.
 423.* adedq; articulatus, distinctus &
 stabili-

stabilis, ad indicandam animi tranquillitatem, & constantiam, & ne videatur esse πολυπερίγμον, id est pluribus negotiis implicitus. *Kekerm. lib. 2. syst. Ethic. cap. 3. p. 211.*

19. In quâ parte si ullum laude reperimus dignum, certè inter primos occurret *Pericles*, quem vultu pene semper serio fuisse, nec ad risum facili, incessu moderato, voce & sermone sedato, scribit. *Plutarch. lib. ad Traian.* ut ita cautus in dicendo evaderet, quoties in concionem progrediebatur, precatus est Deos, ne quod sibi præter voluntatem verbum excideret, quod ad rem propositam non faceret. *Idem in Pericl.* Vnde factum, ut non modo animum orationemq; sublimem, neq; infectam plebeiâ & impostoria scurilitate, habuerit, sed & in vultu gravitas ei aderat, in incessu lenitas, in vestitu mundities, in oratione nihil propter ullum affectum perturbabatur, vox composita & placida, denique id genus multa

multa alia, quibus ingentem sui apud omnes admirationem excitabat. *Id. ibi.* Alter erit *Germanicus Taciti* socer, qui ore compositus & verbis magnificus, ideoq; intuentium visus augebat ipsius species, *Tacit. 2. annal.* quam commendat. *Arist. 4. Eth 8.* Tertius occurrit *Scipio scil. Africanus*, qui Hispanorum legatis respondens, ita elato, ingenti virtutum suarū fiducia, animo loquebatur, ut nullum ferox verbum excideret, ingensq; omnibus quæ ageret, cum majestas inesset, tum fides. *Liv. lib. 7.*

20. E contra non injuria culpatur *Philippus ultimus Macedonum Rex*, quod dicacior naturā fuisset, quā Regem deceret, & ne inter seria quidem risum temperaret. *Liv. lib. 30.* ut & adolescentia *Cyri Persarum Regis*, qui annis cum corpore crescentibus, tum demum utebatur oratione breviorē & voce sedatiorē. *Xenoph. in Cyrop.*

21. Sermonem Principi decorum magnoperè auget, si **P A R C U S**, & **P A U C U S**

cus, Linguaces enim loquentiæ multum, sapientiæ parum. *Sallust. in Catil.* & canis timidus vehementius latrat quam mordet, altissima quæque flumina minimo labuntur sono. *Curt. lib. 8.* factumque semper maior reputatur verbis: quò verborum pauci, pluris ubique æstimantur, quam verbosi: *Boter. lib. 2. cap. 8.* Nec immeritò, responsorum enim brevitatis jure Regum & principum Virtus propria reputatur: *Kirchn. lib. 2. cap. 8. de legat. nu. 76.* Vnde Gallæ orationem. *Tacit. lib. 17. annal.* Imperatoriam brevitatem appellat gravissimè. Et *Lacedæmoniorum* breviloquentia in proverbium abiit, quo *Homerus Menelaum* ceu *Lacedæmonium*, pauca quidem prolocutum, sed planè argutissima laudat. *Sidon. Apoll. lib. 1. epistol. 2.* Theodoricum verò Regem Gothorum, quòd variis in legationibus Orator audiebat plurima, respondebat pauca.

Hoc

Hoc idem probè sciuit *Phocion*, respon-
dens dicenti: Videris mihi, ô *Phocion*,
cogitabundus: Rectè, inquit, conjicis?
delibero enim an aliquid amputare
possim de verbis, quæ sum ad populum
facturus. *Plut. in apophth.* Sic turpe duxit
Demosthenes, magno populo consu-
lentem, oratione uti tumultuaria. *Idem*
ibid.

22. Cui accedit TACITURNITAS, ast:
quî hic? cùm videatur ea sermoni con-
trariari: Est ita, si semper, non si quan-
doque, tum enim multiloquium impe-
dit, quo *Bernhardus Bauhus, lib. 1. epigra.*
p. 22. respicit:

*Dicendi ars magna est, maior mihi crede
tacendi,*

*Mille loqui docuere artes, sed nullata-
cere.*

Verum constat illa nonnunquam ne-
cessario arcanorum silentio, quo neque
conscientia, neque Deus, neque publi-
cum bonum læditur: *Fridenreich. d. cap.*
p. 425. & ita optimum atq; tutissimum
rerum.

rerum administrandarum vinculum.
Valer. Max. lib. 2. cap. 2. præsertim si per
 simulationem & dissimulationem in re-
 bus quarum iudicium non est necessa-
 rium, veritatem occultet: rectèq; non
 ad operculum ac tegumen nequitiae at-
 que improbitatis, sed ad innocentium
 & piorum defensionem adhibeatur.
Fridenreich. d. l. p. 429. quem omninò
 vide.

23. Adhæc gravior erit principis ser-
 mo, si VERNACULÆ elegantiam &
 puritatem suâ probabit oratione, quod
 sanctè fecerunt *Romani*, Legatis Græ-
 cis, tam Romæ, quàm in Græcia ipsa
 non nisi latinè respondentes, quò ho-
 nos illius lingua per omnes gentes dif-
 funderetur. *Valer. Max. lib. 2. cap. 2.* Ci-
 ceronemq; quod *Siracusano* senatui græ-
 cè locutus esset, graviter objurgantes,
 uti de se ipso testatur in *Verrin*. Sic *Tibe-
 rius Caesar* in senatu veniam prius petiit,
 monopolium, vocabulum peregrinum
 nominaturus. *Suet.* Et *Electo* quidam
 SAXO-

Saxoniæ omnes terminos latinos actis Germanicis inclusos, (hodiè quod frequentissimum) commutavit in nostratam linguam, cuius neglectum, temporis & disertationis ratio si non prohiberet, deploraremus, sollicitè metuentes, huic nisi occurratur malo virginitatem nostræ linguæ aliarum stupro fore commaculatam: Quid si *Bohemorum* assumeremus morem, *Pragæ* in iudicio neminem qui audit, nisi voce vel litera Bohemica utentem: sed de his satis, *Adhibe Iust. Reifenberg. in Politischer beantwortung / der frag / wie eines jungen Herrn Præceptor sich verhalten soll? p. 347. Clapmar. lib. 3. arca. Reip. c. 22. p. 118. & ea quæ dixi in gymnas. exercit. Academ. part. 2. Sect. 3. de linguar. cogniti. p. 116. & seqq.* Veruntamen hic ne utiquam damnamus exoticarum linguarum cognitionem cum potius eam magnificiamus & vel ex eo potissimum, quod per A. B. Carolus IV. in Electoribus requirat latinam, hanc si?

prout

procul dubio etiam huius filias scilicet Gallicam Italicam & Hispanicam hodiernus aliquis Carolus exiget in nostris Principibus, tam propter auctoritatis incrementum, cum ob communissimum cum exteris commercium. An verò legati PP. suâ an peregrinâ uti debent linguâ *consule Kirchner. libr. 2. de legat. capite septimo. numer. 26. & seqq.*

24 Nec errare putamus, si Principi, ut sermonem grandiosem, ita & S C R I P T I O N E M assignaremus, cum vox sit duplex pronunciata & scripta; *Kekerm. in margin. Syst. Ethi. lib. 2. cap. 3.* & non tantum literarum quàm styli elegantiam & magnitudinem.

25. Hæc autem sufficere non possunt, rerum propter multitudinem, circumstantiarum & hominum varietatem, *variandum* quæ & sermonis habitum pro re nata exigat: Est enim, ubi loquendum sit

seve

severius, est ubi blandius, ubi magnificentius, ubi submissius, id si fiat citra perfidiam, magna est prudentia. *Plutar. in Lacon.* hinc *Manuel Palæologus* filium suum Principem futurum monet his verbis: c. 82. Principibus haud malè cōveniunt gravitas & magnificentia, sed miscenda semper tibi rigori, qui inesse, gravitati videtur, apta quædam suavitas: & severitati, quæ magnificentia videtur inesse, grata quædam popularitas: ut his quoque rebus imperio tuo decus concilies, & audientes dicto subditos in iis habeas, quæ vincentis optimæ perspexeris, absq; quo nihil utilis rei fieri poterit.

26. Atqui cū nihil difficilius, quàm ita esse affabilem, ne ad levitatem, & ita gravem, ne ad fastum & morositatem exorbitetur; temperanda erit gravitas juxta *Tacit. in Agric.* ut tristitiam & arrogantiam Princeps exuat, nec illi, quod rarissimum & facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuat: quo

quo eodem doctrinæ genere instruere
Nicoclem Isocrat, in Orat. Ammian. de Re-
gno voluit, scribens: Principi ut gravita-
 tem, ita & affabilitatem inesse debere:
 hanc conversationi, illam principatui
 convenientem: & maximè dum publicè
 comparere vult, auctoritatem benevo-
 lentia mixtam habeat, de variis sed
 principe dignis rebus, cum illis, qui
 ipsum comitantur, discurrens: licet
 autem difficulter satis utrasque qua-
 litates uni inhærentes personæ repe-
 riamus; propterea quod illi, qui gra-
 ves videri volunt, non raro frigidi in
 conversationibus evadant, & alteri,
 singularem qui humanitatem & gra-
 tiam demonstrare laborant, decentiæ
 limites egrediantur: nihilominus in
 hunc sensum laudatur Germanicus à
Tacit. 2. annal. quod visu & auditu ju-
 xta venerabilis, cum magnitudinem
 & gravitatem summæ fortunæ retine-
 ret, invidiam & arrogantiam effugerat.
 Item *Augustus*, quo uti populosior ne-
 mo,

C

mo,

26 DE GRAVI. EXTER.

mo, ita nemo autoritate præstantior.

27. Sexcentiq; alii eadem laude gaudere possent, si modo cum *Parysati Cyri & Artaxerxis* matre *byssinis* uterentur verbis, hoc est, magnificis & mollibus, seu coquinariis, sic enim futurum ut sermonis blanditiæ mitigarent rerum asperitatem. *Plut. in apophth.* sic neutrius extremitas damnum mediati inferret. Nam humanum esse & gravem non sunt contraria, sed subordinata talia, felicem quæ manere Principem non valent.

28. Et quamvis oris magnificentia plurimum efficiat, non tamé eo minus **HUMANITAS**: quâ interpellantibus se faciles præbeant subditis majores: nec est quod **PP.** si humaniores sint, suæ autoritati metuant: in cuius opinionis falsitatem graviter invehitur *Italus ille Giulio Cesare Capaccio nel suo prencipe. p. 433.* his verbis. *Non sò per qual cagione potendo i Prencipi esser gentili nel parlare, cortesi nel rispon-*

rispondere non rigidi nel comandare, si persuadono, che facendo il contrario, non debbiano farsi odiosi, e non debbiano essere assai poco stimati, mentre anco a' cōtadini insegnò, di douer divenir via piu rozzi contra quei, che non trattan bene con essi. Oh Dio, quanto è buono, quanto è lodeuole il soaue parlare, e' l comandar da gentilhuomo, non da tiranno, e' l dir parole, le quali se ben bisogna, c' habbiano della maestà, non sian però così imperiose, che porgano gli sproni a' i fianchi della maleuolenza. Quod latine ita sonat: Nescio quâ ratione Principes possint esse civiles in loquendo, affabiles in respondendo, & gratiosi in iubendo, sibi ipsi dum persuadent, contrarium nec odium parere nec contemptum gignere, cum interim subditi tanto inciviliores reddantur erga eos, à quibus malè habentur. Proh Deum, quàm bonum & laudabile est, suavis sermo, imperium nobile, non tyranni, verbaque proferre, quæ licet

aliquid majestatis necesse habeant. tamen non adeò pro imperio sint, fenestram ut odio aperiant, & paulò post inquit: *Cari baci di seruitù quãdo il Principe la condisce con la piaceuolezza, e'l seruidore la ritiene, con la debita offeruanza: hoc est: Chara subjectionis oscula, eam si Princeps cum benevolentia condiderit, civis debitã cum obleruantia conseruãrit.*

29 Imò autoritatis maximum incrementum est humanitas: quot enim à majoribus meis Principes & legi & auidi corruisse ac periisse, tantum quòd aduersus subditos difficiles & *μυσάντροποι* rigidiq; essent. At nullum neq; legi, neq; fando audivi, cui quòd affabilis amabilisque esset, exitio fuerit. *Ant. de Gueuar. in Horol. PP. lib. 1. cap. 39. nu. 151.* Singulari itaque cum gratia ita semper se gerant Illustres erga privatos, uti expetunt illos erga se: Quemadmodum enim maior non videtur Principis perniciës, quàm odio, sic nec maior utilitas

tas

tas quàm amore esse prosequutum.
 Quod experietur, si & ille se benignū,
 affabilem & gratiosum in conversatio-
 ne demonstraverit, suâque autoritate
 temperatè usus fuerit, præsertim in
 propria læsione, ubi suffecerit potuisse
 vindicare, non autem vindicâsse, fera-
 rum, latratu canicularum non se mo-
 ventium, exemplo, sed surdas & cæcas
 ad eum esse fingentium, ob magnani-
 mitatem & generositatem, quâ, natu-
 râ, præ aliis pollent: nec non memine-
 rit aureæ *Catonis* sententiæ, potentibus
 sobriè utendam potentiam, ea ut lon-
 gius fruerentur. *vide il Giuseppe Mat-
 theacci ne' iragionamenti politici. p. 12. a.*
 nec semper rigor PP. adhibendus est
 contra eos, malè qui de ipsis sentiunt
 & loquuntur, nec tolerandi ii, qui sint
 puniti. Quemadmodum *Tiberius* no-
 luit castigare *Apuleiam Variliã*, eò, quod
 malè de ipso loqueretur. *Tacit. 2. annal.*
 30. Non autem nimia servetur humi-
 litas, ne regendi frangatur autoritas.

*August. c. quando. 86. dist. neque contem-
 mni se ullo modo patiantur, l. nec quicq.
 §. observare. de offic. procons. neque inju-
 rias ferant, uti hortatur Papa Alexan-
 drum Ludovicus Sforza, ut propulsaret
 injuriam factam à Ferdinando Rege Nea-
 polit. apud Guicciard. lib. 1. hist. num. 8.
 Perche chi suffre le picciole ingiurie, porge
 materia all' ingiuriatore di fargliene di
 maggiori. Nam parvas qui tolerat in-
 jurias, dat ansam injurianti ad majo-
 res. Et paulo post. num. 9. Prencipe,
 che nel cominciamento del suo governo, to-
 lera qualche ingiuria, senza risentirsene,
 si redde disprecevole e di poca istima appo-
 ogn' uno. adhibe Girolamum Frachettam
 politicum Italicum fatis elegantem in
 suo seminario status discurs. supr. cap. 15.
 p. 106. ubi distinctè tradit hanc qua-
 stionem: An semper sit contra decus Prin-
 cipis tolerare injurias? Nos cum Dione
 lib. 55. histor. num. 15. eam decernimus:
 Hæc est quippe hominum sententia,
 privato injurias omnes esse persequen-
 das,*

das, ne vel contemptui inde habeatur
vel opprimatur: Principem verò debe-
re ea, quæ in publicam rem peccantur,
(cum eo ipso sint crimina læsæ maje-
statis,) ulcisci, privatim in se commissa
tolerare.

31. Id quod fieri necesse est omni abs
superbiâ, ambitione & factu, uti hæc vi-
tia damnat Politicus ille elegans Iulius
Cæsar Capaccius in suo Principe Itali-
co. p. 243. 274. 319. 106. Omnemq; extra
austeritatem, morositatem & rigorem,
quibus PP. causam præbent, ut minus à
subditis amentur. *Ant. de Guen. in horol.*
PP. l. c. 39. n. 148. nisi talis fuerit austeri-
tas, quæ juncta dulcedini, amoris & re-
verentiæ producit effectum, quãdo ali-
quid jubetur: nam impetus magnus uti
est austeritas sola, nõ potest habere dul-
cedinem nec temperamentum inter pa-
rentem & Imperantem.

32. FACILITAS sermonis duplex est
vel enim INTELLECTUS ratione
vel AUDIENTIÆ: INTELLECTVS

facilitatem suo nobis exemplo præscripsit *Augustus Caesar* apud *Suet.* Genus eloquendi secutus est elegans & temperatum vitatis sententiarum ineptiis atque inconcinnitate & reconditorum verborum, ut ipse dicebat, factoribus: præcipuamq; curam duxit sensum animi apertissimè exprimere. Quod quò facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neq; conjunctiones sæpius iterare dubitarit, quæ detractæ adferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent: Cacozelos & antiquarios, vt diverso genere vitiosos, pari fastidio spreuit.

33. AUDIENTIÆ facilitatem ita intelligo, quando Princeps non est difficilis ad audiendos subditos, sine discrimine: facilior ad respondendum. Id si certo cum moderamine fiat, exiguum in subditis gignit amorem, & per consequens magnoperè autoritatem adjuvat. Aliàs non est maior iniquitas, aut turpitudine, quàm fores magnatum semper

per claufas apparere: Nam ut barbara
 fit hæc gravitas, quâ præter uxorem &
 liberos alloqui dicantur neminem,
 quis est qui non videat? Ad *Indos* cum
 istis latebris, cum istis moribus. *Kirchn.*
lib. 1. de legat. c. 4. n. 5. aut certè favo-
 ris & gratiæ clauæ aperiri, ita ut ditio-
 ribus tantum pateant, pauperibus ve-
 rò & orphanis præcludantur: per hoc
 Principes ministris suis occasionem
 violentiæ, iniustitiæ & tyrannidis sup-
 peditant, omnemque populi invidiam
 in se transferunt, ita ut non minuatur
 tantum subditorum in Principem ob-
 servantia, (sine qua Imperium confi-
 stere nequit) quæ ex amore profluit, a-
 mor autem non nisi ex sensibus firmissi-
 mè roboratur: sed etiam Principis im-
 peditur officium, quod est, ut ædium
 suarum fores non invitas, nec occlusas,
 sed apertas habeat, & alteram præbeat
 aurem actori, alteram reo servet: quod
Alexandr. fecisse legimus in *Plutarch.* &
 apud *Romanos* fores tribunitiæ domus,

C 5; nec:

34. GRAVI. EXTER.

nec interdiu nec noctu claudebantur,
ut planè portus & perfugium esset in-
digentibus, nec licuit tribuno diem
integrum ab urbe, nisi tantum in feriis
latinis, abesse. *Halic. lib. 8. Gell. lib. 3. noct.
attic. c. 2. Macrobi. 4. Saturn. c. 20.*

34. Et non tantum Romani, sed &
hodierni subditi ægerrimè hoc ferunt,
quando Principis sui, tutoris, defenso-
ris & pastoris ædes & colloquia sibi in-
hibentur, adeò ut sæpè ad defectionem
inde transeant, vel ad odium implaca-
bile provocentur: imò qui non col-
loquuntur per se ipsos subditis con-
querentibus, sæpè falluntur per Inter-
pretes, nec intelligunt necessitatem ur-
gentem, nec ambitiosorum factiones,
nec oppressionem à magistratibus in-
flictam subditis, nec ulla eos capit libi-
do adhibendi remedia malis, quæ igno-
rant: Sic subjecti ab obedientia, ipsi ve-
ro à regimine revocantur, & alii inte-
rim tyrannidem aucupantur. *Althus. Co.
25. pol. nu 38. & 42.*

Omnes

DISC. DE ILLUSTR. 35

35. Omnes itaque Principes, qui ita *difficiles* se præbent in audiendo, consulendo & iudicando, digni sunt responsione, quam dedit anicula quædam Demetrio Regi Macedon. Hæc cum supplex cōpellasset illum, sibi autem is otium non esse responderet: Noli igitur, dixit, imperare. Demetrius hic licet ante hac adeò omnium negligentissimus & pigerrimus fuerit, ut omnes ipsi fastidio essent, legatos Athenienses per integrum biennium detentos, demum inauditos relinqueret, imò publico edicto omnes libellos supplices unâ convocaret, plebi hac spe facta, quasi omnibus satis facere vellet, in unum igitur collectis supplicationibus omnes in flumen Assium projiceret, ad demonstrandam animi tyrannici bestialitatem; Nihilominus considerans anulæ responsum, ita mutavit animum, ut benignissimè omnes & audisset. & iudicasset.

36. Hanc verò responsionem effuge.

re volentes, semper se arbitros rerum, jure ac nomine principali, præstent. *Tacit. 2. annal.* sedulâq; cum intentione auscultent, ut quàm veritatis amantes quàm inconsiderati & contentiosi sermonis inimicos se esse omnibus ostenderent, probumq; *Vespasianum* imitentur, qui tam benignas & labentes supplicantibus præbuit aures, ut neminẽ sine satisfactione abire passus fuerit.

37. Quid si locus *petitioni* dari non possit, aut propter *iniustitiam*, aut quod *extra tempus*; in *priori* attendat vulgatum illud, fiat justitia & pereat mundus: In *altero* dico quovis loco & tempore libellos supplices esse accipiendos, exemplo *Octavii Augusti*, qui non raro nocte dieq; pro tribunali sedebat: Et *Publii Crassi*, *Mitridatis Regis di ponto*: qui ita humani & patientes in audientibus litigantibus erant, ut ægrotos lecto se in iudicium portare voluerint, illisque dehortantibus responderint, convenire Principi, usque ad extremum

extremum vitæ fungi suo officio, præsertim in concordia & iustitia. Nec non *Ferdinandus Rex Arragoniæ*, licet in venatione, tamen auscultabat, ordinabat, determinabat, plurimaque negotia expediebat, & inter ea aliquando maioricum intentione: vultures, lepores, cervos &c. relinquens, pauperculum quendam exaudiebat, quasi fuisset otiosus in Camera, certò sibi persuadens, se magna cum præda domum redire, onustus si benefactis rediret. Simili modo *Trajanus Imper.* equo descendit ad audiendam petitionem, pauperculæ mulieris iustitiæ auxilium implorantis, reliquis vt præiret exemplo.

38: *E contra* in abominabilem & detestandam incurrunt censuram multi, quorum impatiëntia in auscultando, temeritatis in iudicando causa no est minima. Alii ita præcipitantes sunt, vt aut persuasione aut affectu, ad proferendam, inauditâ alterâ parte, sententiam seducantur: nec volunt interdum audire,

38

GRAVI. EXTER.

nisi oratorem eximium, eleganter politè
& concinnè loquentem, flosculisq; o-
ratoriis rethorizātem, cū potius adu-
latorum & parasytarum blanditias au-
dire voluptati ducant: Consule il Mat-
theaccine' i ragionamenti politici. pag.
40. & seqq.

39. Hic etiam monendi sunt illustres,
ab omni ut sibi caveāt sermonis vilitate,
nam si in omnibus actionib. meminisse
gradus sui dignitatem oportet, ne rem
faciant suā persona indignam, vt con-
sultat *Isocr. in Orat. Ammian. de Regno n. 21.*
certè in loquendo quā maximè requiri-
tur puritas & memoria conditionis, ne
quod facilè fieri potest, alios jocantes
imitari volens variæ se censuræ & con-
tēptui subjiciat: Nam licet privatis nō
adeo vitio vertitur, si salibus interdum
& jocos utantur, id quod non rarò
gratissimum & acceptū, aptè si miscen-
tur seriis sales, suo loco & tempore,
quib. aut probantur aut damnātur, un-
de italorum proverbium natum: *Parole
oscene*

DISC. DE ILLVST. 39

oscene nel tempo della vindemia, cioè, è lecito tra viandanti e vindemiatori giocare con ingiurie galanti. come scriue Plinio: hoc est, Licitum esse viatoribus in itinere & vindemiis joculari, ut seria agant. Aristotel.

40. Adhæc pertinet etiam congrua & tempeſtiva pronuntiatio, ſcil. vocum, ſoni & accentuum. Hinc quæritur: An in his patrium quid retinendum, an verò planè ab hoc recedendum? Vbi responde- mus: licet nobilem & illuſtrem melius loqui, quàm vilem & plebeium deceat, tum in modo miſcendæ orationis, cum in pronuntiatione, tamen id nec laudabile neq; poſſibile: Non laudabile, quia omne quod affectatum vitioſum, & ſaſtidioſum, vide reprehensionem affectatæ pronuntiationis apud Tho. Morum in epi. quod citat Lan. conſult. orat. 1. & ne tam peregrinos nos eſſe demonſtrantes, uniuerſali hac reformatione ac diverſitate cõtterraneis noſtris naufeam moveamus: cum quibus quoniã principa-
litre:

40

GRAVI. EXTER.

liter viuendum & conuersandum nobis
est, ratio ipsa postalare videtur, vt & lin-
gua & moribus quodam modo ipsis cō-
formemur. *Guazz. dissert. 3. de ciuil. conu.*
edit. Reusii. pag. 161. Non possibile, quia
sicut nummus ex impressis characteri-
bus cognoscitur, à quo cusus aut fabri-
catus sit: ita & lingua formam quandā
habere debet, quæ originem loquen-
tis aliquo prodāt indicio. *Id. ibidem. vide*
plura de sermone apud Zach. Frieden-
reich. pag. 442. in polit. Alth. part. 1. civ.
conuers. c. 2. de materia sermonis. Cum
quibus personis & quibus verbis sermo
habendus cap. 4. De pronuntiatione. c.
5. 6. Hic etiam agendum esset paulisper
de habitu & gestu naturali hominis lo-
quentis, verum quia inferius aliquid
de gestibus dicetur, lectorem remitto
ad Althus. d. l. c. 7. p. 113.

41. Sermonis decus excipiunt. MO-
RES seu ACTIONES MORATAE,
quarum cultura quò maior, eò maius
Principali auctoritati addit incremen-
tum

tum: ex his enim variæ de hominum adfectibus, tam bonis vel malis, tam virtutibus, quam vitiis, sumuntur coniecturæ. *Alth. de civil. conu. lib. 1. c. 7. pag. 116.* Et consistunt illi mores *in habitu, gestu. situ & motu, vel singulorum membrorum, vel totius corporis.* Eam igitur *in genere* præ se ferant dignitatem, quæ animum virtute præditum ac seria meditantem demonstret, tacendo loquatur, & quasi mādando in sui admirationem & reuerentiam alios abripiat. *Friedensreich. in pol. pag. 438.* quæque aliquam semper reuerentiæ præclaræque de iis, apud quos sumus, existimationis significationem testetur, non desiderii vel sensibus aliorum contraria.

42. Id autem fit, talem si quis habitu & gestu se exhibeat, qualis videri vult. Siq; in eo mores nec *nimum graues, nec nimum spreti* emineant: GRAVES quidem sint, non tamen sine suauitatis condimine: ne scilicet in defectu peccetur, & *Illustres statuarum immobilium*
instar

instar fiant, cum non tantum acerbos
 sed etiam augustos apparere, deceat: ita
 ut qui obvii fiant, nō metuant illos, sed
 magis vereātur, *Arist. 5. pol. nec sustinere*
Majestatem suam rigore vultus, & fa-
ciēi severitate putantur, sed potius bo-
na vitæ suæ institutione. Isocr. in Evagor.
num. 10. & Rhabanus in gloss. proverb 25.
 Qui præsunt populis, si volunt firmum
 esse solium hilaritate semper & gratia
 vultus plenos exhibeant, ne per arro-
 gantiam rigidi, plebis odium incur-
 rant: ita quidem ut cum amari à suis &
 minimè peccare in Rempubl. velint,
 plurimis oculis, plurimis auribus utan-
 tur, atq; instar thesauri se esse existimēt,
 quod *Iacobo Caldora Duci* adscribit *Io-*
vian. in lib. de Principe. quoq; sensu ma-
 ximoperè commendatur, *P. Scipio A-*
fricanus, quod in gestu & motu tantam
 habuerit dignitatem, pulchritudine o-
 ris, læta & hilari fronte, totiusq; cor-
 poris forma ita conspicuus fuerit, ut
 cum *Māsīnissa Numidia. Rex.* salutatum
 VC-

DISC. DE ILLUST. 43

veniens, quàm primum conspexit, sic virum admiratus esse dicatur, quò nec ab eo dimovere oculos, nec intuendo explere desiderium posset.

43. Nec nimium SPRETI, ne scil. in excessu erretur, simiarumq; instabilitatem, mutatione, vacillatione, gestuum frequentia, nima libertate, indecora & incivili gesticulatione repræsentent: nunquam status sui aut conditionis obliiti rem indignam aggrediantur, uti fecit Nero, publicè in scena histrionem agens, & Commodus Imperat. cum gladiatoribus in arenam descendens.

44. Temperaturâ igitur utriusq; opus erit: hæc, incredibile quantum adjuvet auctoritatem, nam gestuum gravitas plurimum quidem dignitatis à natura corporisq; ac membrorum dispositione eleganti & heroica nanciscitur, suum tamen verum decus in moribus certo iudicio formatis habet, qui faciunt, ut naturalis dignitas ad humanã cõversationem

nem



nem aptè congruat. *Friedenreich. p. 44l.*
 externique actus intrinseci adfectus in-
 dicia sint. Ergo nisi bene moratus sit
 Princeps, nec Augustus apud suos erit
 & venerabilis, nec in actionibus mul-
 tum sequelæ & obseruationis obtine-
 bit, quâ tamen ipsi summè opus, siqui-
 dem sine suo potiri velit. Nam & place-
 re & facere hominum est, *Plato.* Nec
 quicquam tam sufficiens est ad fidem &
 amorem, quam bona voluntas & beni-
 gni mores. *Rebuff. in mat. possess. art. 14.*
gl. 1. Imò non tantum homines, sed et-
 iam Deus diligit propter bonos mores;
 hominem. *Chrysostom.* Sic *Otto Magnus*
 ob suauitatem ingenii amor mundi di-
 ctus. *Caspar. Hedion.* nec non *Titus Vespas-
 sianus* amor & deliciae generis humani.
Suet. in Tit. c. 1.

45. Vnde cum *Iulio Cesare* in suo prin-
 cipe. pag. 223, volumus: Principes primis
 statim ab incunabilis ad morum cul-
 tum assuefieri, inque eo ita educari, ne
Flauii aut *Catuli* aut *Silla* euadant, cum
 quibus,

quibus annorum cursu vitæ mutatio-
nem instituere debeant, inque tribunal
propriæ conscientiæ incidant, sed po-
tius totū per vitæ curriculum boni sint,
modesti & morati, prudentibusque suis
actionibus perpetuò autoritatem suam
conseruent.

46. Primum itaq; gestui singulorum
membrorum congruo & eleganti stu-
dento, quem assequentur, si aut natura-
lem ineptitudinem corrigere, aut inna-
tam gratiam augere laborauerint. Sunt
autem plurima temperie assuefactionis
mollienda: plurima cum immutari, vt
naturalia nō possint, aliorum gestuum
elegantiâ tegenda: Vt nimia capitis ve-
latio, de missio, erectio, motio, capil-
lorum evulsio, frons, dura, rugosa, au-
ris inclinatio, obtrusio, oculorum ela-
tio, nutus, toruitas, volubilitas, elu-
catio, auersio, obstipatio, narium fætor,
purulentia, sordes, sternutatio, oris di-
latatio, inflatio, oscitatio, sputum, lin-
gua palato inhærens, & eiusmodi gene-
ris

ris alia de quibus eleganter *Althus. lib. 1. cap. 8. Civil. cony.* adhibe Galatheum de moribus, & libellum cui titulus scita urbanitas, &c.

47. Verum quoad totius corporis habitum & gestum: Sit Princeps in incessu lentus, non fluctuans, in statione re-ctus & decorus, non decussatim compositis vel divaricatis & distortis tibiis, in surgendo gravis, non præceps, in sessione planus & venerabilis, manibus pedibusque otiosis, non in sella huc illuc vacillans, in cursu providus & cautus, non furibundus, ne labatur, item solus ne videatur: (est enim exercitium, quod in secessu tantum principibus convenit, vide *Gymnas. de exerc. p. 3. sect. II. p. 215.*)

48. Præter has infinitis aliis actionibus autoritas Principium conciliatur, eademque demitur: *Augetur*, fortitudinis speciem si præse ferunt, mortemque contemnunt, omnem enim perdunt estimationem, qui hujus vitæ nimis amantes se demonstrant. *Tacit. Ann. lib. 2. quique*

que pauescentes & nimis timidi animum tam facilè deponunt in adversis, cum potius è contrario *Marobodum* Regem *Marcomannorum* sequi debeant, qui licet regno suo privatus, derelictus ab omnibus, aliud auxilium non reperiret, quàm ad *Tiberij* benignitatem cõfugere, nihilominus memor status sui, scripsit *Tiberio*, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ: Ita *Rex Mithridates*, qui cum in desperatissima sua fortuna ad *Eunonem* recurreret, coramq; eo vilissimo habitu prout miseria status tum ferebat, compareret, nihilominus dignis personâ suâ precibus ipsum allocutus est: *Mithridates*, inquit, terra mariq; Romanis per tot annos quæsitus sponte adsum. Vtere ut volis prole magni *Achemenis*, quod mihi solum hostes non abstulerunt, unde mereor gratiã. *Tacit. lib. 12. n. 114.* Hi itaq; verè magnanimi & strenui sunt principes animũ in reb. adversis q non abiiciunt, sed fortiter facto ipso

ipso resistunt, ad restorationem damni.
*Pericles ad Atheniens. apud Thuc. libr. 2.
 Hist. num. 43.*

49. Item si reliquarum virtutum internarum scilicet exercitium, sibi proprium assignent, aut saltem assignare opinionem aliquam de se prodant: Impossibile namque esse fatendum est, omni virtutum genere præditum esse posse principem, sed non impossibile, videri: Nihilominus omni studio virtutis studium præponendum esse principi sexcenti monuerunt alii, à quibus ego recedo ne utiquam, cum extra dubium pium præ impio, prudentem præ stulto, iustum præ iniquo, clementem præ severo, modestum præ insolente, temperantem præ luxurioso, liberalem præ Euclione, fortem præ pusillanimo, humanum præ austero, diligentem præ somnolento venerabuntur subiecti. Hæcque virtutes quò firmitus PP. inhærent, eò maius ad autoritatis culmen perueniunt. Veruntamen si non re ipsa
 ex om.

ex omnibus partibus subditorū votis respondere nequeant, (quod sæpius, ut supra monitum, fieri nō potest,) saltem respondisse ut videantur, laborent, cū in his externis ut plurimum valeat opinio vulgi, quæ non rarò rerum juxta & circumstantiarum qualitatem excæcanda.

50. Tertius autoritatis concilliandę modus ex corporis habitu est, si Princeps variis in corporis *recreationibus*, personam ipsius decoratibus, alios superavit, ut enim omniū, sic & corporis actionum speculum Princeps esse debet. Nam quantam ea pariant existimationem, & grātiā apud Plurimos, videre est in meo *Gymnasm. de exercit. Acad. ubi latius.*

51. Quartò multum autoritati infervit moderatus recessus seu *absconditio*. Princeps aliquis volens conservare existimationem apud populum non debet sæpius comparere in publico. *Plut. in vita Pericl. nimia enim cum subditis conversatio*

D

satio

fatio parit contemptum, raritas autem conciliet. rebus admirationem *Apul. de Deo Socrat.* & continuus aspectus minus verendos magnos homines ipsa facietate habet. *Liv. lib. 35.* & majestati maior ex longinquo veneratio est *Taci. 1. annal.* non ex levi causa & sæpè, sed tantum ob graves causas & cum singulari gravitate. *l. 1. C. publ. let. lib. 12.* nam nimium civiles & familiares vilescunt, *Althus.*

52. E contra ex immoderato recessu plurima surgunt mala: siquidem in regno *Perfarum*, (ubi mos hic nimius) *Comarides Magus* arripiens hanc occasionem, quod *Rex* rarissimè sui copiam populo faceret, pro *Smerde*, (*Mergide*) cui Regnum post *Cambysis* fratris mortem debebatur, fratrem suum *Orobastrem* instituit, de qua re nulla orta suspicio hominibus, nisi *Otane* nobili, per cuius filiam Regis pellicem patefacta: Qua de causa Magi à populo interfecti *Iustin. lib. 1.*

Ergò

53. Ergò miscenda sunt ista & alternan-
 da solitudo & frequentia. Seneca de tran-
 quill. animi. cap. 15. & ex eo Chockier. d. l.
 p. 85. ut quidem in medio subditorum
 cōspectu & luce versetur, Princ. Her. l. 3.
 cum Antonio & Tito, non autem in late-
 bris & gurgustiiis cum Sardanapalo. Arist.
 5. pol. 10. non in promiscuis balneis cū
 Antiocho Epiphan. Athen. lib. 5. c. 4 Hippol.
 in Principe cap. 27. consiliumque Valerii
 Maximi consultum mihi hoc loco vi-
 detur, suadens; Quicquid in excel-
 so fastigio positum, non quidem con-
 spectu, sed humili & trita conversa-
 tione vacuum esse oportet, imò Prin-
 ceps quisquis es, secede interdū vt vita-
 to assiduitatis fastidio autoritatē ab-
 sentiā tue care. Suet. in Tiber. c. 10. ad bibe
 Girol. Fracchettam in semin. status disc. in
 6. 15. p. 106.

54. Et licet decorum in gestibus
 animo magis & intellectu, quàm
 externis instrumentis corporis rega-
 tur & judicetur: nihilominus tamen
 D 2 proce-

32 GRAVI. EXTER.
procera, PRINCIPIS STATURA,
FORMÆ DIGNITAS, ETAUGU-
STA PERSONA plurimum admira-
tionis parit & creat: quod *Curt. lib. 5.*
docet: Plerisq; gentibus in corporum
majestate veneratio est, magnorumq;
operum non alios capaces putant, quã
quos specie eximia & egregia donare
natura dignata est. Siquidem hominis
corpus animi est emblemata. *Farnes. lib. 1.*
de simul. Reip. c. 8. amicumq; quod pul-
chrum. *Plato in Lyside*: Nihil ad infle-
ctendos hominum sensus; animosq; de-
vinciendos tam afficax quam pulchri-
tudo invenitur. *Kirchn. lib. 1. de legat. c.*
4. n. 5 quam, ad felicitatem mundi con-
ferre scribit *Bald. in præm. Dig. in vers.*
Flavius in add. hinc Platonici pulchritu-
dinem esse instar circuli fingunt, cuius
centrum sit bonitas, utq; circulus ne-
quit esse sine centro, sic pulchritudo si-
ne bonitate. *vide Castil. lib. 4. de aul. Cas.*
san. in catal. glor. mund. part. 5. conf. 14.
Chokier in thes. aph. pol. lib. 2. cap. 9. p. 88.
& est

& est præsumptio, sicut in pulchra & splendidè ædificata domo insignis aliqua persona habitare creditur: ita eleganti corpori elegantes virtutes, egregiaque hospitia heroibus decernuntur. *Franc. de Vayer in tr. de legat. cap. 2.* quo sensu *Socrates* ad quendam turpis formæ dixit: O excellens anima, quàm deformem acta es hospitium, putans cum *Bernhardo*, nil indecentius, quam curvum erecto corpore gerere animum & *Galeno*, vehementer absurdum, iudicans, in formoso corpore, animum habitare deformem. Hæc quamvis non sint perpetua, cùm etiam morum elegantia in deformibus corporibus, internâ mentis, non externâ membrorum pulchritudine æstimata, subsistere possit, sæpeq; in fragili corpore fortis animus, ut in *Petri* vagina ensis ferrens, latet. *Francis. Petrarch. dial. 2. Vide Horolog. princ. lib. 1. cap. 41. vbi optime hac de re differitur. Keekerm. in polit.* tamen quia hîc de externis moribus &

reverentia sermo nobis est, cum *Lacedæmonia Ephoris Archidamos* multa-
mus, pusillam si ducant uxorem, Re-
gulosque mallent procreare, quàm
Reges.

55. Hic autem *notandum* est probè,
ne formæ nimium dediti mulierum in
modum *delicatuli* evadant, crinium
mollitiei, aliisque ornatibus, meretri-
cum instar, nimium studentes, hone-
stum enim ei vile, cui corpus nimis ca-
rum: puros igitur Principes esse cõve-
nit, non fucis coloris illitos, aquam non
oleum olentes, hoc enim & in fœminis
improbatur honestis: *Mulier rectè olet,
ubi nihil olet. Plaut. in Mostell.*

56. Hanc corporis uti venustatem, ita
autoritatem mirum etiam in modum
auget VULTUS HILARITAS, po-
pulus enim tristem & Melancholicum
videns principem, quid agat, nescit, quò
se vertat, quid dicat, non habet: imò
nihil aliud, quam Principi suo grave
imminere periculum ruinę proximũ,
sibi

DISC. DE ILLVST. 55

sibi imaginari potest: Imitentur Han-
nibalem, probè scientem cujus momen-
ti hæc res sit, qui etiã si præ oculis cer-
neret Reipubl. mutationem, nihilomi-
nus semper se letum monstrabat, ne sua
Melancholia damnum Carthaginensi-
bus inferret, & ne videretur in totum
extra omnem spem fuisse, sæpius ride-
bat, uti legimus in sua vita & Petrarca
ita canit:

*Et Annibal quando all' Imperio afflitto
Vide farsi fortuna si molesta
Rise fra gente lagrimosa, e mesta.
Per is fogar il suo acerbo despitto.*

*Vide Mattheacci, ne' i ragionam. polit.
P. 14. 6.*

57. In summa Principis actiones sint
separatæ ab aliis, raræ, prælucentes, & sin-
gulares: uti monet *Isocr. Philip. Regem
Maced. 2. epist. n. 3.* scribens. Non se debet
monstrare cupidū Princeps ejus gloriæ
quã omnib. acquirere facile, sed singu-
laris & raræ digneq; psonâ suâ & statu.

D 4 Et Moleste

leste namq; Principes ferunt, quando-
vident, quod dependentes ab illis, glo-
riâ se & reputatione assimilare volunt.
Sic *Casari* pati non potuit. *Labien.* ita su-
perbientem, quod *Casari* se cōparâret.
Dio. lib. 41. histor. numer. 1. Idem notat
Cappaccius in Princ. p. 12. Fixos PP. ha-
beant oculos in autoritatem suorum
magistratum, illa ne nimium excre-
scat & *Tacitos in Agr. 4. hist.* periculum
judicat, privati hominis nomen su-
pra, imò & juxta Principis attolli.

58. Præterea debent hæ actiones pro-
variorum conditione plus vel minus
adhiberi, aliter enim erga maiores, ali-
ter erga pares, aliter erga inferiores se
præstabit. *de quibus vide lib. 2. Civil. con-
vers. Alth. & Herold. infr. pos. 15. ex Jul.
Belli. diss. &c.*

59. Nec sufficit nomen, famam &
existimationem moratis suis actioni-
bus acquisivisse, sed conservâsse & reti-
nuisse, nec amisisse unquam. Conservatur
autem, quando Princeps non se ulte-
riori-

rioribus submittit, conatibus, iisque periculosis, per quos jam acquisitam famam perdere haud difficile. Propterea succurrere noluit Pompeius Trigano Regi Armen, contra Phraat. Reg. Parth. Dion lib. 37. histor. num. 9. vide Ant. de Guevar. in epist. ad Hispanum quendam, cui tertiam in Ital. expeditionem graviter dissuadet.

60. Item quando non conatur rem, cui se imparem sciat. Perdit enim Princeps dignitatem tentans tollere ab usum quendam è sua ditione, qui postea ipsi non succedat. Prudenter itaque dubitabat Tiberius, apud Tacit. lib. 3. annal. num. 59. an deberet moderare luxum Romanorum, metuebat enim, sibi in executione hærendum esse: Huc pertinet vana, inutilis & ridiculosa legum promulgatio & renovatio, quam non insequitur executio.

61. Reputationem quandoque imminuit *etas*, si scil. *senilis* nimium & *puerilis*: Obnoxius enim contemptui

D S est

est is Princeps, senilis qui ætatis est & hærede caret. Ideo *Galba* adoptavit *Pisonem* *Plut. in vita Galbae*. Ita & pueritia Principis, esseq; sub tutela hominum pauci momenti, animat alios Principes, ad movendum bellum &c. Vti motus *Antioch.* ad privandum *Aegypto Ptolemeum*. *Liv. decad. 5. lib. 2.* Nec non novis Principibus, (præsertim, qui inopinato & præter spem hunc gradum assequuntur,) Maiestas deesse videtur: Quemadmodum de *Vespasiano* legimus apud *Suet. in eius vita c. 7.*

62. *Mercatura exercitium*: Emere namq; ad vendendum majori pretio inconveniens res est auctoritati Principis. quare reprehenditur *Idem Vespian. d. l. 6. 16.* Hic nota morem aliarum regionum, præsertim *Italiae & Hispania*, ubi omnis mercatura penes nobiliores est.

63. *Verecundia*, quâ erubescimus indecens quoque Principi est: nam eo ipso nos accusare & confiteri aliquid videmur, & licet Princeps nihil facere verecundia

cundiâ & pudore dignum debeat, tamen, si quid ex fragilitate humana commiserit, ruborem nullum rectè monstrabit, & potius eorum conversationem fugiat, (publicè) ipsi qui pudorem elicere possunt. *vide Capaccè in Princ. p. 418.*

64. *Præter hæc plurima sunt quæ de Principum aliquid demunt autoritate, ut quando sunt somnolenti, lascivi, omnibusque vitiis dediti, quæ cane peius odisse debebant. De quibus passim Autores politici investigari possunt, quando de vitiis & virtutibus PP. loquuntur: Nam quantum virtute dignitas augetur, tantum vitio minuitur.*

65. Super est tertium gravitatis juvenem, scil. **VESTITUS DECORUS**, qui naturæ, consuetudini & dignitati accommodetur, ita tamen ut sit modicus, non nimius nec peregrinus: Nam hoc non tantum animus viri se variè prodit, siquidem habitus & locum & mores indicat, sed è contra plurimum

D 6 etiam

60. GRAVI. EXTER.

etiam autoritatis homini accedit, & reverentia conciliatur: *Zach. Fridenreich. d. cap. p. 432. quem vide. adhibe quoque quest. ultim. dodec. 3. ex Agricol. Tacit. ab Illustr. Rudolpho à Dietrichstein. L. B. sub. Cl. V. Dn. M. Bernegg. faut. & praecept. mei summi, moderamine habitæ.*

66. *Naturæ accommodatur si conveniens virili sit sexui. Nam vestis ne sit promiscua viris & feminis. Tacit. 3. ann. & hoc divinitus quoq; prohibetur. Vide Keck lib. 1. syst. pol. c. 10. p. 207.*

67. *Consuetudini autem applicatur, si Princeps utitur vestitu consueto, inq; sua ditione usitato, non peregrino & insolito, nam dici non potest, quanto pere popularium animos abalienet pristini habitus mutatio. Schönb. lib. 2. pol. c. 27. p. 164.*

68. *Dignitati congruus est cum certo modo magnificus & splendidus, ita ut illo reliquos antecellat, atq; aliis dignosci & honorari possit: aliàs si mollis, superbię erit vexillum, nidusque luxuriae*

DISC. DE ILLUST. 61

riæ, *Schôn b. d. l.* & est magis peculiaris mulieri & accommodum ornari, quàm viro. *Chrysof. in epist ad Ephes. ser. 13.* Mundities mulieribus, viris labor convenit. *Marius apud Sallust*, imò pulchrius multò, magisque regium, animum proferre cultum & compositum, quàm corporis vestē. *Arist. in præf. ad Alex. 69.* Hic quæritur: *An deceat Principem mutato habitu apud subditos inquirere, quid vulgò sentiant de vitâ & moribus ipsius?* Hoc vix concedere possem, cum non urgens ad hunc conatum ratio videatur posse excogitari, licet exemplis illud demonstrari posset, nam alia sunt media investigandi: vide *Schôn b. d. l.* Hujus tantum historiæ argumentum notabit princeps: *Agasicles* interrogatus, quonam pacto magistratus nullo stipatus satellitio imperare possit. Respondit; si ita imperet, ut pater filiis. *Plutarch. in Lacon.* Hoc si: non modò satellitibus carere potest, sed & ab omni subditorum contemptu est alienus.


70. Ad hæc pertinet etiam POTENTIA, quæ primum jure locum, tanquã autoritatis fulcrum, sibi vindicat: Nam cætera omnia adsint, hæc absit: quid juvabunt? *Lips. 4. pol. c. II.* Hinc opus sunt *opes*, & sine iis nihil fiet, quod opus *Demosth.* Siquidem dignitas pecuniã, tanquam nervo Imperii, *Mucian. apud Dion. in Vespas.* sublevatur, *Bodin.* Et scito parum tutam maiestatem sine viribus. *Liv. lib. I.* resque facilè adversæ fieri possunt, quæ autoritatem immi- nuunt. *Cæs. lib. 8.*

71. Ex hac institui debet AULÆ MAGNIFICENTIA, quæ vel maior vel minor, quanto maior & minor potentia est: indeque autoritas. Et consistit I. IN MINISTRIS AULICIS, II. MODO VIVENDI: & III. HABITATIONE, de quibus alibi: Nos hic vela contrahere jubet lucifer.

FINIS

Il Guicciardinolib. 4. Istor. n. 18

I prencipie le Republiche, deuo-
no nelle lor deliberationi, riguar-
dar non tanto all' utilità , quanto
all' honorevolezza per conseruar
la riputatione, & accrescer il lor
splendore.



D
C
D
M



DISCVRSVS POLITICVS

De

OECONOMIA
PRINCIPIS.

sive

DE AVLAE CON-
stitutione.

AUTHORE.

CHRISTIANO HEROLDT
Halis-Saxone,

Erasm.

Mulus ex equo & asina conflatus, nec
equus est nec asinus : Ita quidam
dum aulici esse volunt & Ecclesia-
stici neutrum sunt.



Tacit. libr. 3. Histor.

Ita est compositus aulicus, ut ex eventurerum adversa abnuat, vel prospera agnoscat.

DISCVR-



DISCVRSVS POLITICVS.

DE AVLÆ CON-
STITVTIONE.

P O S I T I O. I.



Mnis Principū cura vel
in Republicâ, vel Domi
suæ occupata est; vnde nō
incommodè Gubernatio
Principum in publicam,
sive eam, quæ Rempubicam dirigit, &
Privatam, quæ Oeconomiam sive rem
ipius familiarem ritè dispensat, erit di-
vidua.

II. Publica regni administratio tam
lata est, quā ipsa Ars Imperatoria: Eius-
que præcepta utrâq; quod dicitur, pa-
ginâ Politicis Dissertationib. hætenus
faciunt: quam & nos intactâ hîc & in-
discussam potiorib. relinquemus viris
cam

eam impræsentiarum artem informa-
turi, quâ cuiuslibet Principis domus
aulavè construi possit & instrui.

III. Sed in hoc conatus nostri veluti
vestibulo illorum removenda prius est
opinio, qui Principum aulas, veluti
quædam vitiorum nosocomia & omni-
genarum nequitiarum fornices incla-
mare & infamare nō desinunt: Nec hoc
tantum, sed omnes, & in eâ degentes, &
Principibus viris sua commodantes of-
ficia, ceu augeæi pecus stabuli, diris de-
vovent & consecrant execrabilibus: *ex-
emplo aulæ sive dialogi Guilhelmi Insulani
Menapij Creuibrugensis, ubi quorundam in
aulam criminationes examinat.*

IV. Vtenim ulcus hoc penijus tan-
gamus Princeps sanè non minùs quàm
subditorum quis, ut Oeconomiam do-
miciliumque suum probè dispositum
habeat, necesse est, adèd ut Principum
domus, eiusque disciplina subditis ve-
luti exemplar esse debeat, unde vivendi
normam desumpturi sunt; nec prætereà
poteris

DE AVLÆ CONSTIT. 69

poteris huic Patriæ Patri suam negare familiam, cui tam varias, etiam quasdam ad Remp. ipsam pertingentes expeditiones possit committere.

V. Non destituuntur etiam in Aulis viventes præviis optimorum virorum exemplis, qui familiam Principum augere nunquam dubitarunt. Habemus præter prophanos, *Iosephum sanctissimū virum, aulæ illius Pharaoneæ Magistrum & Proregem prudentissimum*: Habemus *Danielem sapientissimum*: utrumque ad hoc tale vitæ genus longis ambagibus deductum, ut quasi selectum à DEO, in placitum vitæ aulicæ exemplum piissimum hoc par videatur, quò uterq; potentissimorum Regum Familiæ præfset. Et licet *Herodis* ipsius sit Aula, nihilominus pii eâ degere possunt Reguli: Qualem oportuit fuisse illum, cui *Christus* tam benignas aures & auxilium præbuit.

VI. Quando itaq; affectus quidã præposterus bonis alioqui viris indignabundas

bundas quasdam & duriusculas in Aulicos mores protrudit vocalas, ut Aulam sedem fraudiū, simulationū scenā, infectatricē virtutum indigitēt, & aut malè conciliatam & ventosam potentiorū gratiā detestentur, aut atroci stilo in quorundam Palatinorum detonent honores: Quis malit credere, ea ordinē non personas ferire jacula, & quis vitia tam huic, quàm aliis divinis statibus & ordinibus accidētaria esse, ibi inficias.

VII. Quo obstaculo levigato, Aulam ipsam feliciter extruere ordiemur: Non quidem à publicā Imperii structurā ascitis calculis, sed iis solūm præceptis, quæ Principem eiusque Familiam domi concernunt.

VIII. *Est itaq, Aula domus Principalis, in quā ipse Princeps Ministrorum alit familiā, quibus ad necessaria negotia, & splendorem Magnificentiae & Celsitudinis suae uti possit*

IX. Constat igitur Aula ex Principe & eius Administris: quare videamus primū de Principe ceu Patrefamiliās. Qualem cum.

eum in Aulâ suâ esse deceat: deinde reliquâ familiâ, ministrorumq; officio & Electione.

X. Nihil est, quod citiùs & efficacius in exemplum abeat, quàm Aulæ mores, à quibus magnâ ex parte originem trahunt corrupta vel secundum virtutem vivendi forma publica, quies, turbæ populorû, fama vel infamia Principis. *Bel. Rer. polit. 1. c. 7. adhibe posit. 2. & seqq. supr. de Illustr. gravit. ext.*

XI. Vnde prima Principis cura esse debet, ut totius Aulæ facies exactè ad honestatis, pietatis, magnanimitatis, òni-umq; virtutû Regulam sit composita.

XII. Talis & ipse in hac aula: Nec corrumpat suos malè vivèdo, Aulici enim plerunque ea, quæ ipse Princeps, sectantur exercitia & stûdia, sciunt enim naturæ & studiorum similitudine, quamlibet, quantumvis magnam apud hunc iniri gratiam.

XIII. Sint ergò mores Principis religiosi & graves, cû primis erga familiares,

res,

res, non sine tamen suavitatis condimine, quod pro illarum conditione plus minusvè adhibeatur: Nam hoc optimum seruitutis solatium, amari à Domino.

XIV. Princeps aulam dextrè administrare cupiens, illorum quos secum habet conditionem consideret, familiaris an advena; intimus an animo alienus; æqualis, an inæqualis; bonæ malè naturæ, veridicæ an mendacis sit; an mores gerat severos, an hilares; an malâ ambitione laboret; an modestiâ præditus; benignus an malignus; officiosus an in officiosus; utilitatis suæ an honesti studiosior, &c.

XV. Hi enim singuli mores diuersimodè tractandi: cum familiaribus & intimis liberè, cum advenis & simultatem exercentib. cautiùs, cum superioribus reverenter, cum æqualibus circum spectè, cum inferioribus humaniter ac benignè, cum bonis ac veritatem amantibus viris tutò ac videnter agere
cum

cum decet: Mendacibus verò denegan-
 da fides, neq; credendum, etsi pignus
 (ut dicitur) afferant: Hilares jucundi-
 que viri suaviter; severi contractius ac
 brevibus tractandi: Ambitiosis honor
 deferendus; cum modestis autem, quem
 admodum simplicitas quærenda, ita
 malignis aures penitùs obserandæ: In
 benevolos & societatis humanæ amicos
 omnis liberalitas collocanda; ad officio-
 sos promptè refugiendum; inofficiosi &
 sibi solùm commodi fugiendi, ab iis, qui
 utile tantùm venantur, subtrahenda fi-
 des, ne cuncta illis credantur, sed illis,
 qui honestum appetūt, securiùs auscul-
 tandū. *Nicol. Bellus in Dissert. Pol. tom. I. dis.*
 3. Et hi sunt limites, intrà quos omnis
 Principis, & ex parte etiam Aulicorum
 actio & conversatio manere debet. Has
 etiam simulatio Principis & dissimula-
 tio (non Machiavellicas istas) agno-
 scat definitiones, nec alia sibi quærat a-
 xiomata. De Machiavelli sententiâ vid.
Reinh. König. in acie disp. Pol. disput. 13. à
thes. 7. ad thes. 14.

E

Sed

XVI. Sed quæritur: Q. An Princeps
Aulicos suos comitatus sue afflatu & oris af-
fatu dignari debeat, ut loquitur Rōing.
d. loc.

XVII. Pro negativa tūm rationes, tū
 exempla sunt: Quod hæc familiaritas
 veluti nimia pariat contemptum. Magi-
 stratum autem Principemve contemni
 se pati non debere, *Callistratus apud To-*
losan. lib. de Eunom. suadet. Et est in l. 9. §.
 2. ff. de offic. Proc. Patientem esse oportere,
 sed cum ingenio, ne contemptibilis
 videatur, nec adeo dissimulare. Nec non
Liv. li. 35. continuus, ait aspectus, minus
 verendos homines ipsa satietate facit Et
Lips. lib. 2. Pol. c. 16. Viles plerunq; (addo
 aulicorum) qui nimium civiles. Hinc
Bodin. l. 4. de Repub. Ipsa subditorum cum
 Principe consuetudo majestatem plu-
 rimum minuit, & eius contemptum pa-
 rit. Hac de causa non facilè apud *Per-*
sas ad Regé patebat aditus: illum quin-
 imò vidisse quandoque augustissimum
 censebatur: quoniam is sub Majestatis
 specie,

specie, ut & *Tiberius apud Tacitum*, semper ferè latebat: *Athenæ lib. 1. Dipn.* Hodiè etiam *Abissinorum Rex* ter quotannis faciem subditis aperit, *Alvares. & Damitan. à Goef.* Sic Augustiss. memoriæ *Imperator Rudolphus II.* rarò exiisse conclavi suo & triclinis fertur, raramque ipsis etiam Aulicis suis, aspectus & alloqui sui fecisse copiam.

XVIII. Nihilominùs quare Princeps φιλαίνθρωπον, non μισάνθρωπον exoptā-
 dus sit, rationes & exempla longè splendidi-
 didissima vid. ap. *Reinh. König. d. disp. 13.*
 præter quod *Hyppol. à Collib. ait de Princ.*
 c. 3. Principis esse omnibus faciles ad se
 aditus præbere, omnes leniter ac patiē-
 ter audire, &c. Quà ratione januam suā
 amoris excubiis defendet. Et *Bell. d. l.*
 Princeps signis quibusdam exteriori-
 bus cunctis gratum animum exhibere
 debebit, eosque gestibus ac actionibus
 suavibus allicere ad sensa mentis suæ
 fideliter explicanda. Grato imprimis
 aspectu, & læto ac benigno vultu
 E 2 suos

Suos excitare, & veluti invitare ad loquendum, perq; suos oculos & frontis serenitatem benevoli affectus argumenta patefacere debet, ut ipso etiam silentio humanissima verba proferre videatur, &c. Utatur tamen istâ familiaritate cautè & cum ingenio, ne, ut ex *l. nec quicquam. §. 2. de offic. Procons.* diximus, contemptibilis videatur. Sic Flolmus veterum Suecorum Rex, qui milites suos, nō solūm commilitones, sed combibones fecerat, per contemptum & lasciviam in cerevisiæ dolium injectus interiisse scribitur. *ab Olao Magno in hist. Goth.*

XIX. Calluit tamen hanc cum subditis familiâq; humaniter, ac quasi populariter conversandi artem scitè admodum *Guilielmus Nassovia Princeps*, qui nō ignarus animorum Belgicorum cum ordinum militia Præfectus esset, non tamen decora quadam ab obviis sibi Rusticis solūm *Guilielmus* salutari, aliâq; æqualis cōversationis argumenta prode-

prodere dedignatus est, qua candida simplicitate omnium sibi animos reddidit addictissimos.

XX. Spirant plerunq; in Aula factionum susurri: In hos ardeliones inquirat Princeps prudens, & in qua re unusquisq; alteri invidet, probè habeat per spectum, ita æmulationes omnes facile tollere, & adulatorum delatorumq; artes à se defendere poterit, *Keckerm. Syst. Polit. lib. 1. cap. 7.*

XXI. Sed hic prodit quæstio: An conveniens sit, Principē in aula sua occultos istos ministros, ut mitissimè ita eos indigeremus, adultores puta, seu delatores alere, vel omninò tolerare?

XXII. Sunt qui probent, sunt qui improbent, — pars invenit utraq; causas.

Nos medii incedentes ita determinamus:

XXIII. Princeps habet aulam, aut benè compositam & pacificam, aut seditionibus & factionibus scatentem. Rebus benè se habentibus, & explorata

Ministrorum singulorū fidelitate nun-

E 3

quam

quam admittat Princeps, ut hoc hominum carcinoma, publico exitio reperi-
tum, & pænis nunquam coercitum, ceu
Tacitus istiusmodi auscultatores *lib. 4. Annal.* definit, famæ fideique bonorum
virorum inhiet & fraudi sit.

Hoc verò solent Tyrāni ut emittatur
*Turba gravis paci placidaq; inimica quie-
ti.*

Martial. lib. 1. Epigram.

Nam & aliàs delatorum opera & in-
stitutio contra jus naturæ est, contra di-
gnitatem civitatis, & contra legem cha-
ritatis. Principem suis reddit odiosum,
& metum in animis subditorum servi-
lem parit. *Rönig. d. disp. 13. thes. 71.* Rectè
ergo *Vespasianus & Titus Coryceos* hos fla-
gris. caelos per arenam theatri abigere
solebant. Et *Antonius Pius* delatorem, si
nihil probasset eorū, quæ deferebat, ca-
pitali pœnâ afficiebat. Sin probasset, ni-
hilominus infamem esse voluit.

XXIV. Verum, ubi seditionis & factio-
num periculum est, ibi exploratorū in-
stitutio

stitutio contra insidias valebit firmiter,
Lips. 4. Pol. c. 10. & Casus 5. Polit. c. 11. Si-
 cut enim venenum aliquando inter sa-
 lubres medicinas miscemus, ita ex ser-
 pentinis istis auscultatoribus utile sub-
 sidium in aulâ nasci poterit. Sic profuit
Baroni de Fin, Regi Gallie, apud quem, ut
 cū usu loquar, in disgratia erat, machi-
 nationes *Ducis Bironij* prodidisse, quāvis
 enim nonnulli de Fin, ceu conspiratio-
 nis istius socium, eodem supplicio affi-
 ciendum contenderent, obtinuit tamē
 sententia incolumem esse debere, imō
 etiā præmiari, ut viderēt reliqui conjur-
 rationū istiusmodi confcīi, quō pretiō
 illorum constaret indicium. Tenēdum
 tamen hīc Mecænatis monitum, quod
Dio. lib. 52. refert, quod oporteat acriter
 exploratores examinare. Et alterum,
 quod apud *Leker. Syst. Pol. lib. 1. c. 7.* est, ut
 videat Princeps, qua de causa aliquis
 deferatur, & si tantum propter verba,
 vel per ludibriū, vel per iram, vel ebrie-
 tatem inter pocula in Principem jacta,

fiat delatio, spernat eam Princeps, nec pro verbis inefficacib. aliam quam verbalem pœnam, objurgationē & deprecationem magno animo exigat. Alias cautelas ex Domino Præsīde audiemus.

XXV. Si quid in quotidiano ministerio minùs aptè, minùsq; eleganter ceciderit, aut in rebus mandatis gerendis non exquisitam solertiam, industriam, diligentiam præstiterint officarii, non cōtinuò excandescit Princeps prudens, sed dissimulat, *Althus lib. 2. Civil. convers. c. 6.* Necessarium enim est in vita humana quædam vitia tolerare, & quibusdam errorib. ob stoliditatem commissis facilem veniam dare; Contra mendacium solummodo & adversum dolos sævire, & quodammodo implacabilem esse oportet, inquit *Bellus d. t. Rer. Pol. c. 3.*

XXVI. Hic jam opportunè queritur: *Qutrum Princeps Ministros suos enormiter delinquentes publicè punire debeat, vel occultatis potius crimine & pœna, alia ratione, quod secus factum est, emendare?*

Qui

XXVII. Qui occultari volunt hæc crimina, has potissimum obtentui rationes habent:

1. Quod Ministri sint veluti fundamentum & magna pars status Principū. Vnde tamdiu duraturam ajunt Majestatem Principis, quamdiu horum salva fuerit Authoritas. Authoritatem autem eorum evulgatis sceleribus vel maxime ruere. Sic pro palata *Pii Claudij* flagitia toti Decemviratui exitium, & Reip. novam formam pepererunt.

2. Si Princeps Ministros à se electos pro sceleratis publicè prodeat, eadem opera imprudētiam manifestabit suam, qui indignum ad munus admittēdo tam perniciosè aberrarit quæ res exitum operationem Principis nō leviter concutiet.

3. Quī non sæviat in extraneos Princeps, qui suos tam rigidè multat? Siq; crudelitatis famam vix effugiet.

4. Paratum & præsens est tali sævitæ periculum: Sic *Alexander Babyloniam* reversus, & populi querelis contra mini-

E S

stros

stros suos efferatus, ab Antipatre ob flagitium plecti metuente, veneno extinctus est.

5. Ministri Principum sacrosancti & inviolabiles populo exhibentur, quæ sanctitas & immunitas evanescit pœnis irrogatis illorum sceleribus.

6. Deniq; non tam justitiæ, quam opibus ministrorum inhiare videntur, qui hanc plusquam Hispanicè furêtem in Familiæ inquisitionem tam crudeliter exercent. Sic *Vespasianus* ministris suis ut spongiis usus fertur, quos, ubi turgerent, corralis per fasq; nefasq; divitiis, ipse sibi exprimeret.

XXVIII. Nos tamen consideratis certis particularibus, statu & conditione, moribus & naturâ Principis, Ministri qualitate, ipsius delicti genere, errorum numero, modo peccandi, commodo publico ex hac pœna orituro, auctoritate Principis, & aliis circumstantiis, Principem tam publicè, quam severè, in intimos etiam, si flagitii postulet enormitas

mitas, animadvertere posse & debere
 statuimus. Sic rectè *Tiberius Sejanum*, *Pe-*
ennium Commodus, *Plautianum Severus*,
Turianum Alexander. Et nostrâ ætate *Hen-*
ricus IV. Rex Gallie Ducem Bironiũ agna-
 tum suum: *Regina Angliæ Comitem Esse-*
cium, aliiq; alios extremo affici curavê-
 re supplicio. Argumenta pro contrariâ
 sententia in ipso cõflictu jugulabimus
 hoc telo: Princeps, qui manifestè cõni-
 vit sceleribus, aut pro stupido habendus,
 ut qui non sciat: aut pro injusto, ut qui
 nolit flagitiis condignas pœnas irroga-
 re. Tàm enim omnibus ignoscere cru-
 delitas est, quàm nulli, inquit *Sene. lib. 1.*
de Clem. c. 2. Et nimia clementia addit
 delinquendi illecebram, & fit noxia ac
 inanis clementia, *Tholos. l. 8 de Rep. c. 4.*
 XXIX. Hæc de virtutibus Principis,
 quo ad aulam, delibare censuimus, de
 reliquis uberius consule *Reinh. Rõ-*
rig. in disput. 13. de virtutibus Principis.
Kekermann Syste. Polit. l. 1. cap. 23. Althus
in Polit. c. 37. passim. Guevar. in Horolog.

84. DISCURS. POLIT.

Princ. t. lib. 2. & alios. Ordo jam exigit, ut de reliqua aulæ familia differtemus.

XXX. *Familia Aulica est vel ex personis necessariis, vel officiariis. Necessariae personae sunt conjux, soboles, & agnati Principis. Quod ad Conjugem Principis: Non sit obicura, ea aut subditis suspecta, habeat dotem sibi assignatam, quæ Regno non sit detrimentosa: Non facilè adhibeatur in secretiora consilia: Non sit nimis sumptuosa. Gynaeceum sic gubernari curet, ne ulla in eo extent inhonestatis & insolentiæ exempla, Kekermanus d. System. Polit. lib. I. c. 23. Caesar Augustus, quo tempore cum Iove mundi Imperium divisisse videbatur, inter eos quos maxima illa potentia omnibus incutere debebat terrores, fortunæ ludibrium, ob flagitiosam mulierum suarum vitã evitare non potuit. Sanè consuetudo officiosè inserviendi palàm mulieribus aulicis, quemadmodum aulã ipsam exhilarat, & jucundiolem præstat, ita negari*

DE AULÆ CONST. 85

negari non potest, quin ea res juxta sit periculosa, ac si vitrum manibus tractetur; quin etiam haud raro inde Tragediarum occasiones extitère, *Nicolaus Bellus d. t. 1. cap. 6. Soboles Mascula & femella* tales præfectos ac morum magistrōs magistrasq; habeat, à quibus ceu generosæ plantæ generosè formentur & informentur. *Agnatis & cognatis* Principis locus dignus in aula assignandus, iisq; honor exhibendus, quem ius sanguinis requirit: interim tamen non otiosè in aula versentur, aut vitam cognatione tali indignam degant, sed officiis, quæ Princeps assignavit, reliquis Aulicis laudabile, quod imitentur, exemplum præbeant, *Kekermannus dicto loco.*

XXXII. *Altera Familia pars sunt Officiarij, ijquè sunt vel Primarij sive Superiores, vel Secundarij sive Inferiores, Officiarij præcipui Superiores sunt: Præfectus Aulæ, sive Magnus Aulæ Magister, Marefcallus superior, Præfectus stabuli, Maref-*

E 7 callus

callus inferior, Archiater, Cubiculariū
 Nobiles Principis. Burggravius Aulae,
 qui regit inferiores Aulicos. Præfectus
 & Præfecta Gynæcæi, Præfector, Mini-
 stri & Pueri Nobiles. Item Secretarii
 & Scribæ, quibus Princeps privatis ex-
 tra Cancellos utitur, Præfectus cōmea-
 tus, vulgò Küchenmeister. Inferiores Au-
 lici sunt Ministri cubicularii, carptor,
 coquus, cellarius, horum administri,
 &c. His addit *Kekermannus* aulicos mix-
 ti officii, qui ita inserviunt ad aulam
 Principis, ut simul habeant officium
 pertinens ad totam Rempublic. ut est
 Cancellarius & Consilarii (ut hodiè
 vocantur) Aulici, & qui in Cancellaria
 Principis, &c. *Et minus necessarios mini-
 stros*, quibus utatur Princeps vel ad
splendorem, ut est nobilis comitatus, tam
 pedestris, quàm equestris; vel ad volu-
ptatem & delectationem: ut sunt Musi-
 ci, Pictores, Venatores, ignium missi-
 lium Magistri, spectaculorum exhibi-
 tores. Ludiones, Moriones, &c.

XXXII. De his postremis, *an nimirum Morionibus* Princeps licitè uti possit, forsitan non abs re quærimus? Qui planè abigunt, ita ratiocinantur; quod Moriones hi sint imago & creatura Dei quâ non oporteat ita abuti, & quod iniquum sit, hominum istiusmodi fatuitatem fovere atque augere etiam provocâdo? Deniq, quod cum impietate conjunctum sit, eo se oblectare miseri hominis morbo, qui est à Deo propter peccatû immissus. Additur & alia ratio, ducta ab experiëntia & exemplis, quod istis morionib, sit annata quædã occulta malitia, quam cum periculo Principis prodant, si irritentur. Sed ista disputatio tantùm pertinet ad naturales Moriones, si ve eos, qui fatui nati sunt, non autem ad festivos & facetos, &c. inquit *Kekermannus System. Polit. lib. 1. ca. 3.* Atq; ita eos probat, qui cû integrâ ratione sint nati, ab eâ tamen arte quâdam & spontè desciscunt: Nos verò, contrâ quàm *Kekermannus*, (cùm scurras istos plerunque

ma-

mar superiorum exenteratores esse sciamus, quibus, ut Guevara loquitur, immisâ in crumenâ manu mox pretium facietiarum persolvendum est) profellâ: potius stultitiæ & nativæ amentia homines alendos existimamus, tum quod non rarò natura sub simplicitate istâ accerrimos prudentiæ stimulos occultet? Tum quod liberalitati Principis magis conveniat, miserorum hominum inopiam & orbitatem, quàm subdolorum juvare & alere nequitiam. Caveat tamen Princeps, ne altutos pro fatuis admittat; & ne sibi gratiores sint unius ineptiæ, quàm multorum obsequia, ne vè exactâ in Principis aulâ anno uno maiorem imperandi licentiam Morio, quàm aulicorum ullus aut minister pervetus habeat, ut ait Guevar. *in Horol. Princ. libr. 3. cap. 47.* Quem de hac quæstione porrò lego *c. d. & precedenti:*

XXXIII. Eligamus iam Ministros Aulicos recensitis in aulâ officiis: Sic ut enim Belli præcipuum fundamentum
est

est selectus militum: Ita Aulæ præcipuum fulcrum Ministrorum *Electio*.

XXXIV. Error in hac commissus, vel quia Princeps parùm prudens, vel naturâ suspicax est, ut vel placitos pro virtuosus eligat, vel magnæ virtutis viros abominetur, postmodum fit publicus, & nunquam nõ summæ imperandi perniciosus extitit, imò statum Principis ipsum non rarò pessundat.

XXXV. Veniunt igitur tres potissimum notæ in electione istiusmodi observandæ: *Genus, Vita, & Ingenium*.

Genus in iis honestum esse debet. Benè enim Philosophorum acumen Aristotel. εἰκὸς βελτίους εἶναι, ὅτι ἰσχυροτέρων, Par est meliores esse eos, qui ex melioribus. I. Lips. l. 3. Civil. doct. c. 10.

XXXVI. Hic non ignobilis sese interponit Politicorum quæstio: *An Princeps Nobiles potius, quàm plebejos habere & eligere debeat?* Nos ut in districta quæstione punctim, ut ita dicam, & brevibus nos expediamus: Nullam conditionem.

tionem ab aula & latere Principis arceamus, quæ honesta & vitiosa sit. Interim si Nobiles tales Principi sint obvii, quidni sanguinis & mentis geminus splendor eum magis perstringat, ut festigio tali inde à cunarum fascis assuetos malit secum esse, quàm viles & de umbra homines. Et sanè vilis ille, qui viles sibi tantū admovet, inquit *Lips. d. l. XXXVII.* Hanc quæstionem excipit: altera: *Num peregrinos in Ministerium & Familiam suam asciscere & eligere debeat?*

Officia primaria Princeps non facile det exteris, si possit habere inter subditos suos, qui ea idoneè administrant: & præceptum, si non observet, in magna odia subditorū se coniciet, inquit *Kekermannus d. l. Et Schönbornerus lib. 3. Pol. ca. 32.* Non utatur peregrinis: Odiosum enim reddunt Principem peregrini servi. Hinc *Nabersanes* vitio vertit *Dario*, quod peregrinos circū se haberet. *Curt. lib. 6.* Et iterum *Kekermannus*: Asciscat potius ex eà gente, cui præest, ne, si subditus.

DE AULÆ CONSTIT. 91

ditis suis ipse diffidat, subditi ei etiã diffidant, eumq; odisse incipiant. Nõ utatur peregrinis: Præsertim ad satellitiũ: nonnihil enim nocuit peregrino satellite cingi Schönborn. d. l. Vnde Buchananus in Hist. Scot. li 18, Mariam Scotiæ Reginã scribit, repudiatis Scotis, custodiã corporis sui commisse Italis, & hæc pergit, certa via est ad tyrannidem, si Princeps peregrino Satellitio se muniat.

XXXVIII. Adeonè igitur exosi in aula peregrini? Excipit Lipsius d. l. ferri eos deberi, si eximia in talium aliquo virtus; addo & spectata fides. Sic Reges Gallia & Duces Florentini Helvetiorum & Germanorum, satellitio quam felicissimè utuntur, insigni argumento Germani candoris, qui etiam tanti fiat apud externos, ut huic, quàm suis subditis, corpus suum resq; committere nihil ambigant. Quos imitatur Pontifex Rom.

XXXIX. Altera Nota vita est, quam super omnia specto, Legis enim meliorem esse Rempublicam, in quã Princeps
malus.

malus sit eâ in quâ mali Principis admī-
nistri. Moribus ergò probi sint, valeat-
que illud, emitur solâ virtute potestas.

I. Lips. lib. 3. civil. doct. c. 10.

XL. Suscipiendi igitur, qui à suspe-
ctis non commendentur, sinceri, benè
affecti, vigilantes, laboriosi, indefatiga-
biles, parci, in dicendo cauti, expediti,
& in exequendo sagaces, domini bene-
volētiae ambitiosi, magnitudinis & ho-
noris sui cupidi. Incommodorum tole-
rantes & menitionum patientes. Deni-
que qui in omnibus ad perfectionem
& ad superandam alienam virtutem a-
spirent *Nicol. Bell. Rer. Politic. t. 1. disc. 4.*

XLI. Vitentur mores contrarii, ii què
præsertim, qui arcana retegunt, quod
persæpè efficiūt, etiam sine fraude levi-
tas, factantia, loquacitas, amorum va-
nitas, vel odii pervicacia, multoq; ma-
gis devitentur ii mores, qui ad perfidiã
inducunt, quæ oritur facilè, quoties suę
utilitates & desideria propria honesto
anteponuntur. Priores prodūt seipfos.

Sed

Sed alterius ordinis cavernosas volūta-
tes & cōscientias rimari non equè facile
est; His itaq; malis famosisq; nihil Prin-
ceps crediderit, nullam existimationis
suæ partem commiserit. De quib. vide
omninò Nicol. Bellum d. l. Schönb. in Pol.
3. c. 33. de Aulæ Moribus, Hutten. Aeneam
Sylvium, Erasmus Roterodamum in præce-
ptis Aulicis, Cornelium Agrippam, Durum
de Pasculo, & alios. Læsus etiam à Prin-
cipe pro officario vel Palatino recipi-
endus non est, quod multis malè cessit.
Scip. Amirat. libro 17. discurs. 4.

XLII. Tertia Electionis Nota est In-
genium: Ingenia Aulicorum cognita es-
se debent Principi, ut quemq; pro indo-
le sua regere, & ad negotia convenientia
destinare possit. Alth. Pol. c. 37. & Lips. l. d.

XLIII. Quæritur jam, utrum Princeps
unum præ cæteris in deliciis habere, & gra-
tiæ suæ radios in unum stringere debeat? Sa-
ne si talis Minister bonus foret, quis e-
loquatur talium Aularum & Rerum-
publicarum felicitatem? Quia tamen,
si malum, tam pertinaxprehendat gra-
tia,

94 DISCVRS. POLIT.

tia, præsentissima oritura tum in regno
 tum in aula malorum seges est, potius
 erit, ne in unum aliquem Principalis fa-
 vor cogatur & restringatur. Qui enim
 unum amat, videtur cæteros odisse *Hip.*
à Col. in Princ. c. 9. Audax ille Princeps
 nimiū, qui ut amet vnum, sese reliquis
 omnibus exosum facit. Et custodia Do-
 minationis est, neminem unum præ cæ-
 teris magnum facere, ait *Aristot.* consule
 & confer porro *Camer. part. l. Horar Suc-*
cisiv c. 90. Richt. Axiom. Polit. 92. 104. &
152. Ant. Guev. in Honor. Princ. l. 3. c. 58. Por-
 ro, si nihilominus Principis Amor in u-
 num inclinet, dicit *Guevara, l. d.* Neque
 Principi, neq; illi expedire, ut amorem
 eum palam ostendat, ut omnibus inno-
 tescat id enim, nisi cavet de Principe
 murmurabunt at illum persequentur.
 Princeps enim amare illū potest desine-
 re at inimici idcirco non desinant eum
 odisse.

XLIV. Nec de ministris plura dis-
 sero. Quædam ad ipsos. O Boni, lubri-
 ca vestra via & vita est, qui in aula ver-
 samini,



DE AULÆ CONSTIT. 95

famini, in qua ut verè vir *S. Augustinus* dicit, per pericula pervenitur ad grandius periculum. Itaque acri circumspectione vobis opus est contra lapsum. Ego fulcio his præceptis. *I. Lips. l. 3. civ. doct. c. II.*

XLV. *Aulicorum vitâ consideratur vel in se, vel respectu Superiorum, ut Principis; Parium, & Inferiorum.*

XLVI. *In genere, Aulici omnes virtutes, tû morales, tàm Politicas excolant, in illis enim Politus & Politicus verè esse debet habitus; Tûm primùm suos mores civili venustate, nec perfunctoriâ solitudine mitigent; tû ipsa comitas, amorq; solertiæ, & cura placendi, tum fraudis & malarum artiû disciplina, non in usum, sed cautionè, ac fortasse speciem invigilantem animum informet. Euphormio in Apolog. Sic Aeneas Sylvius de Mariano Socino scribit, quod verfuras omnes, nõ ut exerceret, sed ut caveret, cognitas habuerit. Historiam nostram & universam exactè teneant, utpotè quæ prudentiæ est anima. Hyppol. à Collib.*

Collib. in Palatino. Denique alterum intueantur, ne lædant, alterum, ne lædantur: Commodis omnium lætentur, moveantur incommodis, & meminerint, quæ præstare debeant, quæ cavere, &c. *juxta Senecam.*

XLVII. Inprimis curādum, ut gestus, motus, incessus, vestitus, status, sessio, accubatio, manus, oculi, vox ineptiis vacent, nec non contemptu & vilipendio, sed reverentiam potius & obsequia erga Principem ostendat. *Alth. l. 2. civ. convers. c. 3. omnino.* Quomodo hæc singula concinne & venuste debeant, componi, porro inspicere *de Hyppol. à Collib. in Palat. & Alth. ll. duob. de Civili conversatione.*

XLVIII. *Cum principe conversandi* ista reperio Monita: Sint Palatini obsequiosi, utibiles, modesti, virtutis propriæ dissimulatores, sine jactantia demandata agentes, omnia bene gesta Domino suo ascribentes, injurias patienter ferentes, cauti, & fidi & circumspecti, *Lips. l. 3. Civ. Doctrin. c. 11. Alth. Pol. c. 37.*

XLIX.

XLIX. De Principe semper & ubique honorificè loquendum & iudicandum. Nihil enim fit vel dicitur, quod ipsos lateat, quod non ad ipsos deferatur, ideoq; longas manus, & longas aures habere dicuntur. *Eccl. c. 10. 17.*

Ne quidem in conscientia tua Regi maledicito, & in conclavibus cubilis tui, nam vel avis cœlorum perferret vocem illam, & ales indicaret verbum.

L. Civile quoque est honorificis cognominibus & titulis ab officio vel aliis adjunctis cohonestare Principem, nam etiam in Scriptura sæpius vocantur benefici, ingenui, Dii, &c. *Alth. d. l. c. 5.*

LI. Qui unus animum occupare velit Principis, eum astutissimum esse oportet, & maximæ calliditatis in hominem, inquit *Bellus*. Neq; enim sine astu fieri posse, ut Principum voluntates Naturâ volubiles, cupiditatibus abundantes, quas facillimè satietas capit, retineantur. Et dicit, istiusmodi Aulicum sex potissimum res operari, quæ ipsius

F

status

Status veluti Fundamentū existant. *Prima* est in animo Principis eam opinio-
 nē inferere, ut pro certo habeat, ipsum
 cæteris omnibus consiliis vacuum, so-
 lam Principis præ oculis habere magni-
 tudinem atq; utilitatem. *Altera* est, Prin-
 cipis oculos tenere, ut nequeat in Auli-
 co, nisi eas cernere propensiones, quæ
 vel maximè respondent, & similimæ
 sint secretioribus Principis inclinatio-
 nibus, &c. *Tertia*, Principem persua-
 sionibus pascere, ut opinetur, Aulici,
 quamvis effrenes, mores virtutes aut
 minimas saltem imperfectiones esse.
Quarta, antevertere & eludere aliorum
 Aulicorum potiori virtute præditorū
 gratiam. *Quinta*, aliena ope & occasio-
 ne in amoliendis æmulis suis uti. *Sexta*,
 Magnitudinem & potentiam suam si-
 mulatæ humanitatis & humilitatis ve-
 lamine palàm obtendere. *Hac ille.* Ve-
 rùm discat noster Aulicus ex Tacito:
 Nihil tam instabile esse quàm Famam
 Potentiæ non suâ vi nixæ.

Sit

*Sit solidum quodcunq; subest nec inania
subtus*

Indicet ad motus digitis pellentibus ictus.

LII. Manifestum est, nimiam nocere assiduitatē circa Principem, quapropter investiget Palatinus, quomodo Princeps tempus dispenset, quas horas otio & recreationibus, quas negotiis tribuat, quando solus esse cupiat, quando amicorum, & quorum expetat, conversationem: ut ne dum officiosus esse velis, molestus fias. *Bellus in Dissert. Politic. t. 3. discurs. 7.*

LIII. Neque igitur perpetuus adsis Principi, neque nimium diu absis. Quorum alterum parit tædium & satietatem, alterum oblivionem. *Erasm. Roterodam. in præc. Aul.* Et Principibus viris utendum, ut igne est, noli proximare, ne aduraris, noli longè abesse, ne frigeas.

LIV. Præsente Principe pauca loquatur Palatinus, eaque sibi optimè nota, & loco, tempori, ac personis accommoda-

modata. Si quando Princeps alloquendus sit, fiat id cum præmeditatione & concinno ordine eorum, quæ dicenda sunt. Sermonibus, quos vel ipse Princeps, vel alii eo præfente habent, attentas aures animumque præbeat: Qui enim auscultant, præter benevolentiam intelligentiæ & iudicii opinionem sibi conciliant. Sed hic omnis vitanda est hypocrisis, simulatio & fucus. *Bell. in Instruct. Petr. Cajetani.*

L V. Si quid ipse Princeps tibi dixerit, in sinu tuo illud contine. Quod si alium id narrantem tibi audias, ignotum id tibi simula. Semper verò ultimum in loquendo tibi locum sume, ut placet *Bello d. l.*

L V I. Aulicus Principis arcana, tum vel maximè sibi commissa nemini revelare debet. *Hypp à Coll. in Pal.* Hinc silentii tutum dicitur esse præmium. Et *Seneca*: Nihil tam æquè proderit, inquit, quàm quiescere, & minimum cum aliis loqui, plurimum secum. *M. Muretus*: O lin-

O lingua, lingua, quàm magnâ eges custodia!

Quæ & aliis sæpè nocet, sæpiùs Tibi:

Multum adsecutus est, qui bene didicit loqui:

Qui benè tacere non minus adsecutus est.

L VII. In commendationibus & intercessionibus Aulicus paucis gratificetur: Tàm enim impetratum beneficium, quàm cassa repulsa deprecatori imputabitur. Id flagitantibus idoneâ excusatione satisfaciat. Si recusare omninò non possit id videat, ut respondenda ⁱⁿ ~~in~~ ^{est} ~~est~~ ^{est} dignæ eo, qui petit, loco & tempori accommodatæ, in primis cum Principis honore & commodo conjunctæ: diligenter prius etiam inquireat, utrum commendandus competitorum, & quem eum habeat, quâ gratiâ competitor apud Principem & administratos polleat.

L VIII. Hæc nos ponimus: Magis universalia quære in Aulico Politico Duri de Pascolo, in speculo Aulico, in

Castilionis libris quatuor de Aulicis, & aliis.

LIX. Nunc quædam *de Paribus & Inferioribus, sive popularibus aulicis.* Hic eum tenorem Palatinus in conversatione observet, ne se ullius astu & calliditate de suâ prudentiâ & honestate ipsa deturbare patiatur:

Quid proceres, vaniq₃ ferat quid opinio vulgi

Securus, Mundi instar habens teres atq₃ rotundus

Ne quid hiet, ne quid protuberet.

LX. Valdè peccatur, quando par pari se sermone vel gestu præponit & præfert, & majorem excellentiam quærit. Parit enim hæc prærogativæ affectatio odium & similitatem inter pares.

LXI. Idem accidit, quando quis averfatur, fastidit, & improbat omnia, quæ ab aliis fiunt, ut nihil, quod satis placeat, ab alio quoquam fieri possit. Quando quis imperiosè respondet vel agit:
Quando quis spontanea ista charitatis officia,

officia, ceu debita, rigidè, acerbè, & inhumaniter exigit.

LXII. Magnates itaq; viri hujusmodi ceremonias crebrò inter se nec adhibere debent, nec adhibitas tantifacere, aut ab aliis exigere, quales sunt: viâ cedere, aperire caput, subinde repetere honoris titulos, laudare affatim, polliceri benigniter. Quia tamen hi mores in aulis, non quidem ob summam causam, sed quod animum erga singulos nostrum aperire præsumantur, solenniter vigent, non prætermittat noster Aulicus ea officia, quibus aut obviam procedendum alicui, aut idem comitandus aut salutandus est, quibusvè salutatio-nes antevertendæ. Sæpè enim ob hæc minutula neglecta acerbissimæ similitates enatæ sunt. *Bell. t. 1. disc. 3.* Plura de conversatione inter pares habet. *Alth l. 2. Civ. convers. c. 8.*

LXIII. Officia, quæ splendidiores aulici erga inferiores & populares usurpant, consistunt plurimū in sermone gestu, & factis.

LXIV. Verbis, factisq; benignis erga populares se Aulicus lenem & humanum exhibere debet, ita, ut etiam inferiori se honorem tribuat debitum. Unde *Seneca* de Inferioribus & servis: *Epist.* 47. Servi sunt? imò contubernales, imò humiles amici, imò conservi, si cogitaveris tantundem in utrosq; licere fortunæ &c. Comiter quoq; in sermonem admittendi, & in consilium, & in conviétum, *Sen. ead. ep.*

LXV. Patrocinium suum, protectionem, auxilium, & consilium honoratior atq; præstantior, humiliori, populari, tenuiori clientulo spontè non rogatus modò, præstare & exhibere debet, *Alth. t. c. de offic. com. dignior. erga populares.*

LXVI. Hoc facimus spicilegium, Amici, Magnorum virorum veneranda verrentes vestigia Sumite modò & boni consulite has Moabiticæ spicas, & paupertinum far Æquales mei: Vos reliqui, quorum robur uberiozem messem

sem exigit, abite ab his capsulis ad plena Politicorum horrea, & satiamini & explemini. Exstant enim de hoc Argumento, Liber Guevara de Aula, molestiis & vitæ privata commodis. Constant. Casar de ceremon. aulic. Vlr. Hutt. de aula. August. Niph. de re aulica. Ioannes Ping. de vita aulica. Balthasar Castilioni libri quatuor de Aulicis, Hyppol. à Collib. Palatinus. Duri de Pa. scolo nunc Euerhardi à Weyh. Aulicus. Hypomneses Polit. Er. Guicciard. Vir Politicus Ioan. ab Affelen. Florilegium Polit. Ia. Roslai L. Baronis in Smirziz. Aulica vita Henrici Petrei Herdesiani Et Liber iste non aded vilis notæ, Keingke Fuchß quem commentario illustravit Ludov. Dietz. Latina reddidit Hartman Schopperus in speculo vitæ aulicæ. cum altero, cuius titulus est, Groschmeufeler. Nos calamum quem cum DEO sumimus, cum gratiis summis ad eundem OPTIM. MAX.

DEUM hîc ponimus.

F I N I S.

F S

THOMAS MORUS AN-
GLIÆ CANCELLARIUS In-
terroganti, quo pacto ita rarissi-
mam rem in aula consecutus ef-
set, senectutem, respondit: In-
jurias quaslibet ferendo & insuper
gratias agendo.

NOTÆ ET ADDITIO-
NES *αὐτοῦ ἑκάστην* AD PRIMUM
DISCURS. DUM TYPIS HÆC FO-
lia mandarentur, præsertim expe-
regrinis authoribus, ob-
servata.

Nec tam Imperio nobis opus
quam exemplo. posit. i.) Cu-
jus vis maxima est in liberis:
Nam facilè facit inferior, quod fieri vi-
derit à priore. *Ambr. Rom. i. uti in hoc ar-
gumentum loquitur Il Signor Giulio Cæ-
sare Capaccio nel suo Prencipe p. 134. Pren-
cipi date buono essempio ai figli, come Dionigi
seniore tiranno di Siracusa, il qua' e in-
prendendo Dionigi giovane suo figlio perche
hauesse stuprato la moglie di un Siracusano,
dicea che que, stovition non hauea mai udito,
che l' hauesse fatto il padre. Et havēdo quel-
le risposto, e vero, ma tu non hai hauuto un
padreze, soggiunse il padre, ne tu hauerai
un figlio Rè. se farei queste sceleraggini.*

F 6

Ad

Ad subjectos extendit Reinike Bos. lib. 2. c. 7. p. 184. dath vele Menschen / ere Sünde gerings achten / vund entschuldigen vmb der auertredings willen der Prelaten vnd Potentaten. Also wan sie sehen / dath de Fürsten vñ alle Auericheit / de den andern / in einem vustraffliken vñ ehrliken leuende vnd Wandele / vor gan schölden / sündigen vnd modtwillen drüen. Inde: alieni facti iure iudicem sustinent, qui peccatis præstant exempla *Cassiod. 10. 13. & majore suo malo multandi, qui non solum facto suo. sed etiã exemplo remp. vulnerarunt. Cic 3. de legib. Nec non solum in propriis errorib. puniendi, sed eorum, quos exemplo suo deperdunt. Ambros. 2. Tim. 3. vide Lips. in monit. pol. c. 8. & lib. 2. pol. doct. c. 7. Besold. lib. 2. pol. c. 2. n. 35. p. 652. & seq* Ergo prudens iure cõsetur illud respõsum Tiberij, quod *Sejano* Liviam ducere volẽti dederat: Princeps non tantum suis in actionibus sibi opus habet satisfacere, sed & mundo: à quo omne quod facit observatur & ponderatur. *Tacit. 4. annal. n. 64.*

Ob

Ob imitandi facilitatem. pos. i.) præfertim in malis, ad quæ semper naturâ procliviores sumus, uti notat dictus Author des Olden Keinickhen Boff in synent andern Bock's. am. 8. Cap. pa. 183. Dath wo de Regenten vnd Herren gesinnet/ also vs ock dath Bolckh gemötet/ vnd dath de grote hape des gemeynen Bolck's/ vele mehr den bösen Regenten volget/ anhanget vnd mit en sündiget / alse den guten. & subditi facilius præfectorū vitia quàm virtutes imitantur. Naz. orat. 21. Obsequium in Principem validior quam pœna, pos. i.) Hunc locum Taciti illustrat Gruterus part. i. comment. in loca: quedam Tacit. disc. 6. p. 47. quem præ aliis consule, & Niceph. Gregor. 6. 4. plerunque solent subditi ad principum volūtatem se accommodare, obsequio eorum benevolentiam redimi scientes. Imò subditi nisi eadem, quæ Reges faciant, improbare facta illorum videntur. Ioseph. 8. antiq. 3.

Quam igitur Princeps vadit viam,

E 7

hanc

110 N O T A E A D

hanc sequuntur subditi posit. 2.) Inde
curæ omnibus majorem in modum esse
debet PP. seu Illustr. institutio de qua
multi multa. *Adhibe Iust. Reisenb. in Pol.*
Beantwortung der dritten Frag. Lorch. &
alios: evolve Gymnasma de Exerc. Academ.
partit. 1. sect. 5. exemplo Platonis qui
cum in Insulam vocatus esset, ut Dio-
nysum institueret, morem gessit, spe-
rans, per unum virum, quasi membrum
principale purgatum, universi laboran-
ti Siciliae medicinam se facturum. Plu-
tarch. in Dione, p. 962. d. Nam Humanum
paucis vivit genus. Luc. lib. 5. & propè om-
nes homines unius moribus vivimus.
Plin. in paneg. Ideò meritò laudandi sa-
pientes, quib. alia & nunc hæc cura, &
salutarium monitorũ face preluerent
imperanti. Quâ enim in remelius me-
reantur de genere humano? In moribus
aut scientiis aliquid præcepisse, laudem
& usum habet: & non magis in regno
& administratione civili? Cum illic u-
num aliquem ciuem meliorem doctio-
remve

remve facias; hic in uno omnes. Nam
 ita profecto est, arctâ quadam cathenâ
 devincti sumus, qui imperamur, cū im-
 perante, & ut in corpore mens sana aut
 insana esse non potest, nisi ut pariter
 vigeant aut langueant eius functiones
 non item in hac societate Princeps. Ad
 virtutem ille præit? sequimur, ad vi-
 tia? inclinamus. Benè beateque agit?
 floremus, improsperè labimus aut rui-
 mus cum illo. Atq; ut à sole in subiecto
 hoc orbe lux aut tenebræ: Sic à Princi-
 pe apud subditos prava pleraque aut
 rectâ, Cæsar ille non animosè magis
 quàm verè dixit:

— *Procerum motus hæc cuncta sequuntur.*

Humanum paucis vivit genus.

*Lips. in præfat. doctr. pol. Quam ut sui
 dissimilè Princeps possit formare Rem.
 pos. 2.) Multitudo enim sæper fermè re-
 gèti est similis Liv. li. 5. c. 28. pr. & omnia
 mutavit mutatus Imperator. Idem libr.
 5. ca. 19. pr. nec non castra simillima re-
 gi. Stat. Thebald. 4. Il. Principe dee renderfi*

scm 93

sicuro, che dalla purità de' suoi assistenti, dalla provvidenza de' suoi consiglieri, dalla giustizia sua propria, e dal buon ordine della sua corte dipende tutto'l bene della sua Repubblica. Perche è impossibile che dell' albero, che ha secche le radici si veggano mai nei rami le foglie verdi: hoc est. Hoc certò sibi persuadeat Princeps, ab assistantium puritate, consiliariorum providentia, propria justitia, aulaq; decenti ordine dependere omne bonum Reip. Nam impossibile est arborem siccas radices habentem virides producere ramos.

Ita fascinet ut admiratio. pof. 8) Dominium namq; Principis non raro magis per autoritatē, quam potentiam cōservatur. Tacit. lib. 6. annal. & lib. 12. dicit illos, qui Rebusp. præsumunt, nec existimantur à subditis, aulam insolentiae præbere. Vnde semper Principes ad dignitatis conventiam dirigant actiones suas non ad id quod possunt. Sallust. in coniur. Catil. vel consultius iudicant non enim raro ab hoc discedendum, ut fecit

fecit Belisarius, prælium cum Gothis qui ingressus solam ob metum perdendæ autoritatis apud suos. *Procop in bello Goth. lib. 1.* Imò tantæ autoritatis virtus est, ut principes quàm maximè laudentur, eam si anteponant vitæ & libertati, quod fecit Ludovicus XI. Rex Gallia, qui è carcere, in quo e Carolo Duce Burg. detinebatur, exire etsi potuisset, noluit, propterea ne non servatâ fide (quam dederat) autoritas imminueretur, multum in bellis valet. pos. 9. *Perche declinando la reputatione d'un Princepe, declinando in sieme la virtu de suoi soldati e si diminuisce la fede de' popoli, cresce l'ardire a' nemici; si alienano affatto i dubbij, & tutte le difficoltà si augmentano. Guicciar. lib. 2. Istor. n. 53. i. e.* Declinante principis autoritate, militum quoque virtus declinat, populi fides diminuitur, crescit ardor hostis, subito damna oriuntur omnia difficultatibus implentur. E cōtra Ducis existimatio militem animatum, hostem formidabilem reddit: Sic
 famam

famam advētus Germanici, in Italiam Romanos animâssa, Totila verò & Gothis terrorum injecisse, scribit Procop. in bello Goth. libr. 3. Siluris populo Anglico, prælianti, cum Ostorio Romano, animū addidisse Carataci autoritatem docet Tacit. 12. annal. Vespasiani etiam absentis valorem notat Id. 2. hist. nec non in hoc argumento laudat Dio. li. 42. hist. Catonem Scipioni Ducis officium resignātem. Perche i successi delle guerre dipendono in gran parte, dopo Dio, dalla riputazione del Prencipe e delle sue forze. Guicciard. lib. 2. hist. n. 52. id est, Belli victoria post Deum consistit in autoritate & potētia, (militum & nummorum;) Germanorū sic sonat: Gott in dem herzen/ den Feind im Gesicht/ (autoritate scilic.) vnd das Schwert in der Faust/ Johan von Wallhausen libr. 1. von vnderricht der Soldaten. pag. 5.

An quędam simulata esse possint. pos. 11.) vide in der teutschen Politick Michaelen Krebsen daß 13. capit. die 2. 3. vnd 4. part. dissert. meam de politico posit. 18. & seqq.

seqq. Ad conservandam autoritatem simulatio multum proficit, uti *monuimus pos. 48.* scilic. non monstrandum esse principio adversæ fortunæ casum, sed potius dissimulandum. *Così qualche volta alla grandezza & autorità d'un Principe, ò Capitaneò generale bastano per farlo seguir d'un essercito ancorche non habbi denari da pagarlo: h. e.* Non rarò ad terrorè & respectum opus est, Principè magnū ducere exercitum, multoq; stipatum esse milite, etiam si solvere illum nequeat: uti fecit Maximil. Imperat. cum ad Patavij obsidionem proficisceretur. *Guicciard. lib. 8. hist. n. 21.*

Ingenita erga Reges veneratio. *pos. 14.* Est naturâ plerisq; populis urbibusque consensus quidã protegendi amandive Reges. *Sen. 1. de Clement. c. 4. p.*

Sed & loquendi rationem discat. *pos. 17.* Principal virtù deue esser del Principe, il saper elequentamente parlar à proposito, rispondere à tempo, e con la voce dar segno de i tesori del saper, che tieni nascosti
nel

nel petto: Il Capaccio nel suo Prenc. p. 192. scrive d' hauer inteso lo contrario spesso nelle ambasciarie fatte à Principi, e questi hauer risposto con tanta insipidezza, ch'è una vergogna, mentre in quelle occasioni appunto deue farsi conoscere il valor d'un signore, essendo quella attione di riceuer ambasciadori un' epilogo di tutta la sua grādezza: Onde da faciullezza i Principi s'auuezzino a saper ben parlar, ch'è quanto di riputatione ponno acquistarsi, & a quest'attione si sbrauino quei, che n'han cura. id est, Maxima est virtus, Principem esse faciendum. & scire loqui è propositum, respondere in tempore & cum voce monstrare thesaurum scientiæ, quàm reconditam habet: (hinc Philosophus ad Alexand. Quemadmodum Imperator sui est servator exercitus, ita etiam eloquentiæ, quæ sapientiæ coniuncta est vitæ gubernatrix.) Contrarium sæpius se edisse in legationibus scribit Cappac. ubi Principes ad pudorem usq; insipidissimè responderint, cum potius in

in hoc genere valor Illustris cuiusdam demonstrari possit, quoniam actus hic recipiendi legatos sit quasi finis & epilogus omnis magnificentiae. Vnde à iuventute Principes assue fieri ad benè loquendum, tanquam principale reputationis debent, cui accedunt aliae P P. actiones: *Adhibe eundem capaccio. pa. 380. & 382.* ubi exempla narrant PP. qui per eloquentiam conservârunt Respublic. item de eloquentia vide *Matthraci nel ragionam. polit. 15. p. 87.*

Loquentiae multum, sapientiae parum Sallust. pos. 21.) Hæc etenim loquentia seu garrulitas maximo vitio vertitur privatis passim, quin non multò magis Principibus, cum ij seriò admoneri debeant, ab eiusmodi loquacibus ut sibi caveant, minus ut eos imitentur. *uti docet Giulio Cesare Capaccio nel suo prenc. p. 128. & seqq.*

Taciturnitas, pos. 22.) Interdum tacendo P P. castigare subditos possunt. *Capaccio, d. l. p. 33.* aliaq; plurima peragi possunt

possunt, *Id. p. 20. 21. Audientia p. 33.*) In hac pertinet etiam esse solum, præsertim gravioribus in negotiis, ut legationibus quare monuit *Neronem Seneca*, ne dando audientiam legatis *Armenia, Agrippinam* matrem secum pro tribunali sedentem pateretur, hoc enim vilescere auctoritatem Principis putavit. *Tacit. li. 13. annal. num. 9. Somnolenti. pos. 64.*) ebrietas enim & somnolentia Principem despiciatum, & facilem ad opprimendum reddunt. *Arist. lib. 5. pol.*

Lascivi. pos. 64.) Inter reliqua hoc vitium Principibus adeò detestabile est, ut non rarò Republic. everterit integras & commutarit. *Adhibe Capaccio. p. 213. 16. 18.*

Vestitus Decorus. pos. 65.) Trium scil. colorum, uti in simili describit mulierum vestes *Capaccio. p. 37.* scil. 1. ut sint albæ propter animi sinceritatem, 2. ex auro, propter sapientiam, tertio ex purpura propter maiestatem, non peregrino & insolito. *pos. 67.*) scil. planè peregrino

grino eoq; affectato & odioso ut si *Rex Gallia & Anglia* hispanorum, *Rex Neapolitanus*, gallicum, *Suecia*, polonicum, *Turca*, & *Indus* Europæ imitaretur habitum, &c. Is autem vestiendi modus, quo hodiè utuntur nostri P.P. non videtur adeò reprehendendus, cum nō sit odiosus, nec nimis peregrinus, dummodo nō sit affectatus, & vestitus gallicus, gallicos quoq; mores inducat. Nam si quis Helvetiorum seu veterum Germanorū in morem incederet, cui non esset ludibrio: sed an prima vestium mutatio nostris in regionibus sit laudanda, quoq; modo & qua causa illa successerit, aliis considerandum relinquo.

Laudamus veteres, sed nostris vivimus annis. Ita ut vestitu etiam alios antecellat. (pos. 68.) Et cur non? in omnibus cū prerogativa ipsis competit, in vestitu quomodo denegabitur? Inde privatorum luxus compescendus, ne Principes ad nimiam pōpam aut imitētur aut ad vilitatē ipsis ansa præbeatur, q̄ in multis fieri hodiè videmus principibus qui
ideo

ideo vestimentis utuntur pretiosis, ut si non præ eminentia, saltem differentia privatique & publici appareat. Præterea ipse quoque Pontifex tali incedit ornatu, quo non unum aliquod Monasterium (prout scommate suo pro more traducunt quosdam protestantium papicolæ) sed quo vel totum regnum emi posset.

Potentia. pos. 70.) de quâ vide Fracchettam in seminario status cap. & discurs. 19. Capaccio. pag. 162. Perche un Prencipe grande non ha forze, che corrispondano al grado suo, non è stimato come Massimiliano Imperatore essendo passato in Italia con poche forze fu sprezzato del Duca di Savoia, & del Marchese di Montferrato. Guicciard. lib. 3. Istor. num. 35. id est, princeps ille, cuius vires non respondent dignitati, non veneratur, sed despicitur, quod accidit Maximiliano in Italiam proficiscenti. Et inutili sono i preghi d'un Prencipe appresso un altro a desistere da qualche impresa, o ad accettarne alcuna, se non sono
accom-

accompagnati dalla riputatione e dalle forze. Id. lib. 4. Ist. num. 8. h. e. Vanæ sunt illæ persuasiones apud alium faciendi aliquid aut omittendi, ipsis si desint reputatio & potentia.

Ministri aulici, pos. 71.) aulæ magnificentiam, quæ æstimatur à potentia, consistere in principū ministris diximus, qui quò majores, & graviores, eò major principis redditur autoritas. Poterit igitur maximo cum delectu eos eligere, Capacc. p. 291. & potius majora salaria dignioribus & paucioribus, præbere, quam inutilem turbam alere: Probè cognoscat eos, qui ipsum comitantur. Capaccio. p. 340. de aula & famil. PP. vide Fracch. cap. & discurs. 24. in seminario status p. 158. & c. & Cappacio 134. 259. Lather. de consu. lib. 1. cap. II. nu. 10. & seqq. de amicis cap. 26. p. 175. & c. de propinquis c. 25. p. 163. de custodia & excubitoribus. c. 30. p. 194. de servis, cap. 26. p. 168. De aulæ luxu. Capaccio p. 184. Luther. lib. 3. de censu. c. 10. num. 12. & lib. 2.

c. 10. nu. 1. Errant aulici qui bibendo Principis sui reputationem servare posse, sibi persuadent. Id. lib. 1. c. 10. n. 43.

Modus vivendi pos. 71.) juxta reddituum quantitatem instituantur, census ne superent sumptus. Quilibet igitur prudenter suas vires examinabit, secundum quas omnia postmodum dirigat. Non sit avarus nec prodigus, vide *Capaccio nel Prenc. p. 268. 162. 300.* Quò pertinet victus & convivia, quæ licet privatorum superare debent, tamen suo respectu moderanda sunt, nec cum illo *Archiepiscopo Eboracensi Georgio Nevillo*, instituenda, quæ in auditum nostro ævo luxum adhibuit, prout eum ex antiquis schedulis specificat *Franc. Godvvinus Episc. Landav. in Comment. de presulibus Ampliæ p. 65.* ex quo propter rei singularitatem, tibi lector, communicare non pœnituit.

OBSO-

123

DISCURS. POLIT.
OBSONIA AD CONVI-
vium hoc præparata.

*Tritici quartaria. 300. Habet autem
quarterium pondus circiter quingentarum
liberarum.*

<i>Cervisia Tonne</i>		330
<i>Vel dolia.</i>		1200
<i>Vini tonne. 104. Dolia.</i>		416.
<i>Vini aromatici Pipa. Dolia.</i>		2.
<i>Boves saginati. 80. Porcelli.</i>		300
<i>Tauri silvestres. 6. Pauones.</i>		100
<i>Verucces. 1004. Grues.</i>		200
<i>Porci. 300. Hadi.</i>		200
<i>Vituli. 300. Pulli Gallinacei. 2000</i>		
<i>Anseres. 3000. Columbae.</i>		4000
<i>Capi. 3200. Cuniculi.</i>		4000.
<i>Butiones. 204. Bittours.</i>		
<i>Anates.</i>		4000.
<i>Ardeola. 400. Hernseyves.</i>		
<i>Fasiani.</i>		200.
<i>Perdices.</i>		500.
<i>Gallinagines. 4000. Woodcoks.</i>		
<i>Vpupa. 400. Plouers.</i>		

G 2

Cur-

Curlini. 100. Curlevves.

Coturnices. 100

Asteriades 1000. Egrets.

Rees. 200. *Quid sit non conijcio*

Ceri.

Dama

Capreoli

} plusquam.

} Roes

400

Artocrea ex farina calentes. 1506

Quæ refrigerant. 4000

Dishes of Gelly (coaguli) parted 1000

Dishes of Gelly plaine. 4000

○ Ministri sive Officiarij munera sua
obeuntes in dicto convivio.○ Comes Warvvicensis seneschallus Archiepi-
copi.

○ Comes Bedfordiensis Thesaurarius.

○ Habtingus Baro Censor sive Contrarotulator.

○ Willoughbæus Baro Dapifer.

○ Ioannes Baro Buckinghamius Pincerna.

○ Richardus strangevayes eques auratus Præ-
gustator.○ Walterus Morley eques auratus Aula Mar-
tialis cum aliis octo equitibus auratis eo-
dem munere perfunctis, præter armige-
ros

ros

ros & servientes.

Serviens ad Peluem Regi, hic etiam à
pelui.

Ioannes Graystocke & Ioannes Neuil argen-
ti calati custodes.

Ioannes Braynocke suprauisor Aulae.

Convivæ in Aulae.

Ad summam Mensam

Archiepiscopus.

Episcopi { Londinensis }
 { Eliensis. } à dextra
 { Dunelmensis }

Dux Suffolciæ.

Comes Oxoniensis } à sinistra.

Comes Wigorniensis }

Ad secundam Mensam

Abbas S. Mariae Eboraci.

Abbas Selbiensis

Abbas Whitbiensis.

Abbas Bilandensis.

Abbas Renuauxiensis.

Abbas Furniensis.

Abbas Christallensis.

G 3

Abbas

Abbas de Meaux.

Abbas Whalleiensis.

Abbas Salleiensis.

Prior Dunelmensis

Prior Bridlingtonensis.

Prior Gisburnensis, cum octo aliis Prioribus.

Ad Mensam Tertiam.

Barones	}	Muntegevy.
		Cromvell.
		Scroope.
		Dacres.
		Ogie.

Cum Equitibus auratis.

48

Ad quartam Mensam.

D. Decanus Eboracensis.

Decanus S. Seuerini

Eboracenses Canonici.

Ad Quintam.

Prætor Eboracensis.

Prætor Stapuli Caletensis.

Cum civium Eboracensium spectatissimis.

Ad Sextam.

Barones. 4. Fisci Regij.

Et 26. Iurisperiti.

Ad

Ad Postremam.

*Armigeri 49. Regi Famulantes.*Nomina convivarum in Conclavi
summo epulantium.

Ad mensam primam.

*Dux Glocestrensis.**Ducis Suffolciensis soror à dextra illius**Comitissa VVestmerlandia. } à Sinistra.**Comitissa Northumbria*

Convivia ad secundam mensam ibid.

*Baro Graystockius.**Barones alij, 3.**Matronæ Nobiles 12.*

Ad Tertiam.

*Dictarum matronarum pedisseque. 18*Convivæ ad mensam primam in
conclavi secundo.*Ducissa Suffolciensis senior.**Comitissa VVarvicensis.**Comitissa Oxoniensis.**Baronissa Hastingsa.**Baronissa Fitz-bugh.*

Ad mensam secundam ibid.

Baronissa Lumlea.

Baronissa Strangia.

Matronæ aliæ nobiles

8

Convivæ ad mensam primam in
conclavi magno.

Episcopus Lincolnensis.

Episcopus Couentrensis & Lichfeldensis.

Episcopus Exoniensis.

Episcopus Carleonensis.

Convivæ ad secundam mensam
ibidem.

Comes Warvvicensis.

Comes Westmerlandius.

Comes Northumbria.

Baro Fitz. hugh.

Baro Stanlaus.

Equites Baneretti

10

Convivæ ad tertiam mensam.

Fœminæ nobiles.

14

Nobiles quos Generosos vulgo appellamus

14

In Aula Iterum.

Nobiles & Plebeij ingenui duabus Vicibus.

414.

In Solario.

Famuli magnatum. 400. duabus vicibus.

In

In Aliis Locis.

Officiarij & Famuli 1000

Coqui 62

Lixæ & coquina ministri. 515

Convivij huius Fercula prima.

Aprugnum } Potage.
Furmenty viant }

Here povvdred for standard

Roe povvdred.

Fesant entraille.

Wannes. Cigni

Capons in halfe greace,

Hernseyves. Ardeola.

Carpet of venison.

Pike in harblet.

Leach cant.

Fruter.

Ferina in furno cocta.

Custard planted.

A Suttlety.

Fercula secunda.

Gelly parted } Potage.
Rassens. }

Venison bake. Ferina.

Peacock

Peacœk in rapill.

Cony reverse.

Lardis of venison.

Perdices.

Woadcoks. Gallinagines.

Vpupa.

Breames in spile.

Pommis Verte.

Leachre sifers.

Fruter napkin.

Dates in mald.

Scatins ryall.

Suttlety.

Blanck desire.

Dates in compost.

Bittours, Butions.

Fassani.

Egreth. Asteriades.

Cuniculi.

Coturnices.

Martins. Martes.

Aviculæ Maiores.

Alaudæ.

Phocena.

Leache blanck.

Fruter

Fruter crissin.

Cotonea in turno cocta.

Chamblet ryall.

Suttlety.

*Placentarum (Wafers) & vini aromatici
magna copia.*

Habitatio. pos. 71.) tanquam latius
tegumen: hanc *Lipfio* 4. pos. 11. autore e-
ligat in urbe quadam primaria, unde in
omnia regimen. *Tacit.* 3. ann. Huc perti-
net magnificentia palatiorum & ædium,
de qua vide *il seminar. de' generi distati di
Girol Fracch. c. & discurs. 18. Giulio Cas p.
231 Krebs. cap. 14. part. 9.* ubi nota hortat-
um cuiusdam, quo Cæsarem ad restau-
randam Remp. monuit. *apud Sallust. in
orat. 1. ad Cas.* Palatiorum & aliorum ex-
ternorum ornamentorum structuræ stu-
dere, se aut ipsam virtute splendescen-
tem non reddere, Principibus ignomi-
niæ est.

De his omnibus nota quod aliàs in pri-
vatis à Poëtis dicitur.

*Aedificare domos & pascere corpora multa,
Ad paupertatem proximus est aditus.*

Quod

Quod quidam Germanicè ita
reddidit.

Rechten/ Spielen vnd groß Bawen/
Bürg werden vnd viel vertragen/
Über seinen Stand sich zieren/
Gastrey halten vnd pancetiren/
Binnike Ross/ viel Hund vnd Wind/
Vnd dann viel vbrig Haufgesund/
Defgleichen Lestien/ bulen vnd naschen/
Macht leere kuchen/ keller vnd daschen.

Et tantum pro hac vice, plurain aliū
locum & tempus differens.

F I N I S.

Augustin. de Civitate Dei. cap. 13.

Quicquid hîc vivitur, de spatio vitæ
demitur, & quotidie fit minus minus-
que quod restat, ita ut omnino nihil
aliud sit huius vitæ tempus, quàm ve-
lox quidam cursus ad mortem, in quo
nemo aut paululum stare, aut tardius
ire permittitur, sed omnes pari gressu
perurgentur.

ECCE EA TIBI EXHIBEO,
Lector, in quæ Typographus per
Authoris absentiam pec-
cavit.

*In tit. dimimusce, pro diminuisce. riente,
ritiente. A. 2. Reichardo, pro Reinhardo. A. 3.
b. lin. 7. abundantes, pro abundanter. A. 4. l.
6. sua, pro vestra. in pref. pag. pen. l. 1. volui,
pro valui. p. ult. l. 4. virorum, pro vivorum. l.
17. deleatur, & mecū suum cuiq; tribue: po-
natur in fine. l. 20. manent, pro maneo. p. seq.
quid, pro quis. p. 3. l. 4. arduos, pro arduas. p.
8. l. 1. animos equè. l. 18. inconcinnè. p. 10. l. 3.
intellige, pro intelligo. l. 22. possent, pro pos-
sint. p. 11. l. 3. aura, pro aure. p. 12. l. 16. indi-
ta, pro insita. p. 14. l. 16. Principes, pro Princi-
pisq; p. 15. l. 5. port, pro Poet. p. 16. l. 9. at erūt:
si constans & sedata oratio: si pressa & c. p.
21. l. 17. lingua pro lingua. p. 23. l. 5. cum, pro
quàm. l. 8. debent, pro debeant. p. 24. l. 14.
vincentis, pro vi mentis. p. 26. l. 10. mediatī.
pro medietati. p. 31. l. 9. factu, pro fastu. p. 32.
l. 12. dubitarit, pro dubitavit. p. 35. l. 4. anicu-
la, pro anula. l. 18. proyiceret, pro projecit. p.
36. l. 8.*

36. l. 8. labentes, pro lubentes. l. 23. illisq³, pro
 illosq³. p. 40. l. 9. habere debet. pro habet. p.
 46. l. 19. Principium, pro Principū. p. 47. l.
 19. volis, pro velis. p. 75. l. 6. triclinis, pro tri-
 clinis. p. 77. l. 14. indigeremus, pro indigite-
 mus. p. 79. l. 16. indicium, pro judiciū. p. 81.
 l. 14. prodeat, pro prodat. p. 88. l. 21. lego, pro
 lege. p. 90. l. 5. festigio, pro fastigio. p. 94. l. 13.
 Honor, pro Horol. p. 107. l. 2. primi, pro pri-
 mum. l. 15. in, pro ri. l. 18. que sto, pro questo.
 l. 21. padreze, pro padre Rē. p. 110. l. 17. & pro
 ut. p. 111. l. 10. labimus, pro labimur. l. 14. re-
 ctā, pro recta. p. 112. l. 22. aulam, pro ansam. l.
 24. conventiam, pro convenientiam, p. 113.
 l. 2. solam, pro solum. l. 8. e, pro ā. p. 114. l. 2.
 animāssa, pro animāsse. l. 3. terrorum, pro ter-
 rorem. p. 115. l. 4. principio, pro principi. l. ult.
 tieni, pro tiene. p. 116. l. 16. quām, pro quem.
 l. 22. edisse, pro vidisse. p. 117. p. 9. narrāt, pro
 narrat. p. 118. l. 2. in hac, pro huc. p. 119. l. 6. u-
 tunter, pro utuntur. l. 23. imitentur, pro inci-
 tentur. p. 120. l. 3. que, deleatur. l. 20. venera-
 tur, pro adoratur p. 121. l. 23. Luther, pro La-
 ther. p. 122. l. 12. debent, pro debeant. p. 131.
 l. 23. privatis, pro privatos.

Cætera, si quæ sunt, facile notabis.

0
n.
l.
i-
2-
I.
ro
3.
i-
o.
ro
2-
l.
3.
2.
r-
t.
l.
o
i-
-
-







96 490




ULB Halle 3
005 130 93X



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.

1017





DISCURSVS POLITICI

I.

DE ILLV-
STRIVM GRAVL-
TATE EXTERNA.

II.

DE EORVM OE-
NOMIA, SEV AVLAE
Constitutione.

icciardino lib. I. Istor. n. 24.

*... è chi che sia, il qual sappi conser-
vazione, che tiene di sauo, è pru-
se ben si dimimuscela sua gran-
dezza, tuttavia riente
autorità.*

* * *

* *

ARGENTINÆ.

EBERHARDI ZETZNERI. Bibl.

M, DC, XXII.

1907 S 695